8° Asc. 1339 a



DEUS ET EGO

VERBA

CONSIDERATIONE

DIGNISSIMA,

Sacris Commentationibus

piè expensa,

PRO SPIRITUALI

DECEM DIERUM

SOLITUDINE

A

P. DALLIER, Soc. Jesu

Gallicè conscripta,

Ab alio ejusdem Societatis Latinitati, & Typis reddita.

Impensis aureæ Eleemosynæ ad

S. Joan. Bapt. Monachii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Typis Joannis Jacobi Vötter.

Anno M. DCC. XLIV.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

DEUS, & EGO

PRIMA DIES.

MEDITATIO I.

Deus ſolus, & Ego ſolus in ſolitudine.

IN I. Præludio conſiderabo Servatorem meum in deſerto, & imaginabor mihi, eundem Spiritum Sanctum, qui Chriſtum eò *deduxit*, *me invitare* ad eandem ſolitudinem, ut ibi ſolus cum Deo ſolo occuper.

In II. Petam gratiam, qua penetrare poſſim neceſſitatem, excellentiam, & finem hujus ſanctæ ſolitudinis.

Punctum I. Conſiderabo unicum Deum ſecum ſolo occupatum, eúmque ab omni creato ſeparatum, qui in ſua ſacra ſolitudine delectatur, nec delectari poteſt, niſi in ſe ſolo. Deinde perpendam, optare Deum, ut

ut Divinum hoc Prototypon imitari ſtudeam, quem in finem largitur mihi gratiam ſubeundi eandem ſolitudinem, ubi deſiderat loqui animæ meæ, ſimúlque huic manifeſtare, quæ circa me decrevit, ſcilicet, quòd exquirat à me, ut ego ſolus ſim in hac ſolitudine cum ipſo ſolo.

Affectus. Ut ſolitarius ſolitario, ſolus ſoli hanc gratiam adhibeas, ô mi Deus! maximopere anhelo. Exopto enim omnibus creatis valedicere, ut te ſolum cogitem, tibi ſoli auſcultem. O amantiſſima ſolitudo! tu Paradiſus es, quem anima mea anhelat, ſat gnara, ſe per te participem futuram vitæ Dei ſui, qui non vivit, niſi ex ſui cognitione & amore. In te perſpiciam, quàm durum, & amarum ſit reliquiſſe Deum meum, ut fucatæ dulcedini creaturarum adhærerem. In te experimento addiſcam, quàm ſuave ſit in ſilentio, & quiete animi, in omni ſenſibilis objecti carentia videre, & guſtare Deum. In te addiſcam, per contemptum omnis creaturæ Creatoris mei magnitudinem æſtimare.

Punctum II. Perpendam coram Deo, quàm

quàm neceſſaria ſit mihi hæc ſolitudo, re-
vocando in memoriam tot imperfectiones,
quibus ex defectu debitæ, & neceſſariæ ad-
vertentiæ obruor; obſervando cæcitatem
meam in rebus Divinis, languorémque in
rebus ſpiritualibus, & ſervitio Divino, cujus
ob varias animi, culpabilésque evagatio-
nes, & diſtractiones parùm ſum ſtudioſus;
videndo me magnopere debilem in ample-
ctenda perfectione, meo ſtatui convenien-
te, cui ob defectum debitæ collectionis nul-
lum medium adhibeo; tandem conſideran-
do, me paſſionibus meis eſſe ludibrio, quæ
me in plura proturbant peccata quásque ob
continuam cogitationum mearum diſſipa-
tionem non conor perfectè ſupprimere.

Affectus. Heu! horrendam inordina-
tionem! quæ me replet confuſione, pæni-
tudine, ferméque ad deſperationem redi-
git, dum aſpicio, quòd ſanctiſſimorum Sa-
cramentorum tam frequens uſus, tot gra-
tiæ à Deo collatæ, tot conſcientiæ ſtimuli, tot
ſpiritualium librorum lectiones tanto huic
malo curando non profuerint. Succurre, ô
amantiſſima ſolitudo! dum Deus me ad te

ineffabili ſua bonitate vocat, ſpem iterum meam ad omnia proſpera erigit. O quanta felicitas! modò cooperari velim huic gratiæ, méque Deo committere, res ſalva erit, nec aliô opus eſt. O quàm lubens, volensque me in ſanctiſſima ejus brachia conjicio! Loquere ô mi JEſu! ſi placet; decretum eſt, tibi nihil negare, quantumcunque violentum ſuſtinere cogar in amplectendo eo, quòd à me exiges.

Punctum III. Cogitabo, quanta ſolicitudine curare debeam, ut bene penetrem finem meæ ſolitudinis, qui eſt: I. Purgare cor ab omni eo, quod inibi Deo diſplicet, obicémque ponit ejus gratiæ. II. Curare, ut perfectè penetrem, quid Deus à me requirat. Hæ duæ ſummi momenti cauſæ exigunt accuratam ſolitudinem, ſilentiúmque tam internum, quàm externum. Res quippe magni momenti non niſi in ſecreto accuratè tractantur, nec oracula Deus inter tumultus & negotia profundit, ſed in ſolitudine ad cor loquitur.

Affectus. Æternùm ſis benedictus, ô mi Deus! quòd mihi concedas locum, tem-

pus,

pus, & voluntatem ſtrenuè me applicandi tam ſerio negotio. Ut decet, maximi facio hoc beneficium, ob idque ex corde tibi gratias refero, tanquam ob bonum pretioſiſſimum, quod non omnibus elargiris. Ecce adſum in loco ſancto, ex ſumma tua miſericordia paratiſſimus acceptare omnia media & auxilia, quæ infinita bonitas tua dignabitur mihi offerre, extremeque doleo, quòd hucusque conceſſis tam languidè, & malè cooperatus ſim. O Angele mi! quem unicum protectorem & teſtem ſolitudinis meæ eligo, impetra mihi à DEO meo potens auxilium, quo mea fragilitas indiget, ne exoptatum fructum perdam. Vósque, ô beatiſſimi Eremi Incolæ, qui latebras veſtras in terris fervore veſtro ſanctas reddidiſtis, impetrate mihi nunc in cœlo conſtituti, ut meum quoque hunc ſeceſſum ſanctificem. Fiat. *Poſt quamlibet Meditationem ſequitur affectu plenum cum DEO Colloquium.*

MEDITATIO II.

Deus Creator, & Ego Creatura.

PUnctum I. Considerabo Deum sibi soli sufficientissimum, meíque prorsus non indigum decrevisse ex superabundanti, purissimáque sua bonitate mihi conferre Esse, relinquendo in suo nihilo infinitos alios, à quibus longè majorem recepisset honorem; Deúmque pergere, in singula momenta mihi dare Esse, conservando me, ídque eo solùm fine, ut totus sim ipsius, eum adorando, amando, laudando, sícque ansam habeat se totum mihi communicandi, nunc quidem per gratiam, olim verò etiam conferendo suam gloriam.

Affectus. O Cœli! quàm felix ego sum, dum video, me creatum ad finem tam nobilem. Poteróne & in tempore, & in æternitate ob tantum beneficium sufficienter me gratum sistere. O quàm lubenti animo accepto hoc meum Esse ob hunc tam sublimem finem! quàm lubens me obligo, adhibere omnem conatum, quo assequar hunc finem meum. Ne quidem

dein-

deinceps respirabo, nisi ex amore Dei mei. O anni præteritæ vitæ meæ! qui ab hoc nobili fine tam procul aberrâstis, quis mihi dabit, ut vos revocare possim melùs impendendos. Saltem secuturos annos unicè ad Dei beneplacitum, atque ad ejus servitium impendam.

Punctum II. In mentem revocabo, Deum Creatorem meum justissimè exigere, ut, cùm ipsius solius causâ productus sim, ipso solo contentus vivam, meaque cura sola & unica sit, ut me Deo reddam dignum; proinde exposcere, ut in meis intentionibus, meis verbis, meaque vita non quæram aliud, nisi sanctissimum, Divinúmque ejus amorem, in nulla re respiciendo, nisi ejus beneplacitum, procul removendo reflexionem omnem ad me, mea commoda, aut honorem meum. Accuratè ponderanda veniunt verba illa: Debeo me Deo dignum reddere. Bene perpende horum obligationem, & excellentiam.

Affectus. O fiat istud! ut me Deo dignum reddam. Sed heu! quàm multiplices timendi occurrunt causæ, ne in præteritos

ritos errores meos me projiciant pravæ consuetudines meæ. Valete creaturæ omnes! non eritis deinceps objectum cogitationum, & intentionum mearum: multò minùs partem amoris mei vobis concedam. Vale amor proprie tuis addicte commodis! tu deinceps non eris mihi ampliùs Dei loco. Blandimenta sensuum, dulcis vitæ deliciæ valete! æternùm vobis renuntio. Valeat honor, valeat magni nominis æstimatio, valeat amor proprius, valeant! Alij jam Domino me totum mancipavi. Tu amantissime mei Custos Angele, tu testis es mei hujus propositi. Utinam sis etiam testis futuræ vitæ, quam vivere tam ardenter jam nunc propono.

Punctum III. Cogitabo, creaturas omnes non aliam ob causam in hoc mundo esse, quàm ut faveant mihi ad hunc præstitutum finem consequendum, hó que sanctum meum propositum adimplendum, seu, quod idem est, ut me unicè dirigant ad Creatorem meum, dum pro scala mihi serviunt, per quam ad Deum ascendam, ipsíque me arctè conjungam. Hinc quan-

tumcumque mihi sint charæ creaturæ, rejicere illas debeo, quamprimum affectum meum sibi vendicando, aut ad proprium commodum me trahendo, pervertere conantur animi mei decreta.

Affectus. Actum proinde est: opitulante misericordia Divina disrupta sunt vincula mea En gratiâ Servatoris mei in magna indifferentia ad omnes res creatas constitutum me sentio. Ita est ex hinc corporis sanitatem odio persequar, nisi mihi ad Deo serviendum conducat, méque in ipso, & pro ipso occupatum teneat. Morbos vicissim & debilitates amplectar ubi in me amorem commodorum & delicias sensuum extinxerint, & me à crepundijs, nugisque mundanis, quas depravata natura maximi facit, extricaverint. Honoribus, & magnatum favoribus nuntium remittam, quories à fine meo me abducere conabuntur. Vos verò contemptus, desolationes, ariditates me vobis totum devincietis, ubi me inducetis ad contemnendum omne, quod Deus non est.

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo Creatore, & Me Creatura.

Punctum I. Considerabo hominem in justitia originali creatum esse, ut sit imago Dei in divitijs, honore, & felicitate, quam ob causam constitutus est in Paradiso terrestri, ubi possideret omnis generis bona. Dum hoc in felici statu perstitit, nihil proprij sibi adjudicabat, ínque nulla re seipsum quærebat, sed omnia ad Creatorem suum referens, illum in creaturis perfectè intuebatur, & reverebatur, neque ullâ creaturâ utebatur, nisi ad honorem Dei, quem cognoscebat, admirabatur, & unicè in omnibus rebus amabat.

Affectus. O felix Innocentiæ status! quàm miseri sumus, postquam tui tam turpem jacturam fecimus. Quantum commodum non in nos ex tam sancto & innocente creaturarum usu redundabat? O quàm jucundum erat! videre hominem, qui in omnibus Deum intuebatur, mentem

ex

ex omnibus in Deum elevabat, & plùs Deum in omnibus gustabat, quàm ipsas creaturas, quas inter versabatur. Ah! quid agam, ut denuo ad tam felicem sortem redire queam? si non requiritur, nisi oratio, suíque mortificatio, orabo, méque mortificabo. Licèt hoc meo proposito terreatur amor mei proprius; statutum tamen est, hanc sortem amplecti, hanc; DEO dante, cogetur sequi. Actum est: hac ipsi eundum erit.

Punctum II. Postquam homo per inobedientiam è Paradiso est expulsus, Deus alio prorsus modo cum ipso egit; statim enim illum ad laborem, ad humiliationem, ad mille alia gravamina condemnavit. Præcipuè autem eidem declaravit, quòd tanti criminis reus nullô pactô deinceps exigere posset, ut vitam in delicijs duceret, sed potiùs ab omnibus delicijs, & commoditatibus longissimè remotus cogeretur in usu ciborum, somni, & aliarum rerum necessariarum tantummodo ordinem observare, quem Deus præscripsisset, neque ijs licere

ampliùs uti, quàm quantùm ſervitium Deo exhibendum requiſiviſſet.

Affectus. O rigidam! ô ſeveram ſententiam! videre, nec tamen videre; guſtare, nec tamen guſtare; poſſidere, & non poſſidere; verſari inter commoditates, & delicias rerum, & quaſi non verſari; his nutriri, ſed cum nauſea; his veſtiri, ſed cum contemptu; his uti, ſed cum indignatione. Scio, me à ſevera hac ſententia exemptum minimè eſſe; convincit me enim abuſus creaturarum, quibus heu! nimio affectu adhæſi. Cùm itaque ſententia hæc, licèt ſevera, ſit tamen juſtiſſima, huic me ſubjiciam ad amuſſim. Recedite proinde deliciæ terrenæ, oleum & operam perditis, dum ſub ſpecie, & neceſſitatis larva mihi blandimini. Ad veſtras incantationes ero deinceps inflexibilis. Vos quoque commoditates, quæ hucusque miſeram meam animam ſub jugo veſtro preſſam tenuiſtis, excluſas vos deinceps ſcitote. Tandem nolo mihi poſthac ullum eſſe commercium cum ulla creatura,

tura, utut antehac ſuavi, & accepta, niſi quantum ſola neceſſitas exiget, quam effugere non potero. Deus erit mihi meus mundus, meæ deliciæ, meum totum. Fiat.

Punctum III. Si laudabile eſt deſiderium renuntiandi creaturis, propriúmque animæ ſanctæ, longè laudabiliùs erit his reipſa renuntiare. Hoc ut aſſequar, in omnibus creatis intuebor *Deum* meum. Res pulchræ loquentur mihi ejus pulchritudinem; res bonitate eximiæ revocabunt mihi in memoriam infinitam ejus bonitatem; res beneficæ proponent mihi liberalitem ejus Divinam; magnificæ recordari me *facient adorandæ Majeſtatis DEI* mei; tandem quidquid mihi ſub oculos venerit, ex ijs omnibus occaſionem ſumam mentem in Deum elevandi, nil æſtimando, amando, admirando in creaturis, niſi Creatorem.

Affectus. Heu! quàm cæcus ad hoc uſque momentum fui: Deus ſe mihi ſub creaturis manifeſtabat, nec tamen ſub illis ipſum videbam. Quàm deplorabilis erat

mea

mea conditio, dum figurâ & imagine contentus, nec cogitationes, nec mentem ad Deum erexi, qui tectus ſub his figuris latebat. Ignoſce mihi, Creator mi! acuam deinceps oculos mentis; adorabo te, ut verum Lumen ſub ſolis ſpecie; ut calorem ſub ignis figura; ut conſtantem & immobilem ſub terræ ſtabilitate; ut pulchritudinem ſub amœnis floribus latentem; ut ſummum bonum ſub guſtu dulcium; ſub grandi cœlorum arcu ut immenſum, ſúbque temporis volubilitate ut æternum. Ita ſit. Ex nunc oculos meos & animam meam ita replebo ſpeciebus Dei mei, ut nihil præter ipſum videant, guſtent, audiant, & in nullo delectentur, niſi in ipſo.

DEUS,

DEUS, & EGO.

SECUNDA DIES.

MEDITATIO I.

DEUS offensus, & Ego agnoscens offensam.

Punctum I. Quamprimum rationis usum adeptus sum, statim à fine creationis meæ me turpissimè averti, oculos ab adorabili Creatore meo retraxi, meíque erga ipsum debiti oblitus mihi soli invigilare cæpi vanitati me totum consecrando, delicias & commoda mea etiam in ipsis meis spiritualibus exercitijs insectando. Sícque eheu! totius vitæ meæ annos, menses, dies & horas miserè dilapidavi.

Affectus. O errorem incredibilem! ecce enim, dum anima fidei lumine illustrata credit, Deum finem suum esse ultimum, facilè agnoscit, creatam se non esse, nisi propter Deum; & tamen tam stolidè se ab illo avertit! Heu vitam pudore pleniss-

mam! quæ licèt tot Divinis luminibus, to-

instinctibus fuerit adjuta, turpissima tamen cæcitate obruitur. O ingratitudinem irâ, & indignatione Creatoris mei dignissimam! Ah! quis dabit mihi fontes lachrymarum? ut in illis submergam infidelitatem meam. Utut à me offensus sis, ô mi Deus! non nisi à te tamen aut volo, aut possum exspectare auxilium.

Punctum II. Adhuc sum, aut saltem essem in hoc misero statu, nisi Deus per bonitatem prorsus singularem aperuisset mihi oculos, quibus hujus meæ miseriæ turpitudinem & infamiam agnoscerem. Procul dubio sum, aut adhuc essem æquè crucis & mortificationis inimicus, æquè alienus à Creatore meo, denique æquali peccatorum cæno immersus.

Affectus. O oculi mei! ubi sunt nunc lachrymæ vestræ! ubi pœnitudo tua, ô misserrima anima mea! utique saltem hac vice per efficax propositum, sincerámque pœnitentiam te ex tam misero statu extricabis? Eheu! videor quidem mihi ita velle; verùm fragilitas mea, & pessimè traducta vita de contrario justum mihi timorem injiciunt.

ſiciunt. Prô! quàm timeo meam hanc fragilitatem, debilitatem, meósque pravos habitus, ne, dum in omnibus mihi blandiuntur, peſſumdent DEI gratiam, meámque conſcientiam peſſimè habeant. O mi DEUS! ſuſtenta me potenti tua gratia!

Punctum III. Imitatus ſum infeliciſſimum Luciferum, qui oblitus, acceptæ gratiæ, & finis ſuæ creationis, ut vanitati ſuæ ſatisfaceret, contra Deum inſurrexit. Ego funeſtum Adami exemplum ſecutus ſum, qui non ſine crimine à fine ſuo ſe avertit; preſſíque veſtigia poſterorum ipſius, qui æquè ac Protoplaſtes Deo ſuo fuerunt infideles. Ego enim inſtar alicujus Dei meipſum extuli omnia mei causâ agendo, meipſum in omnibus quærendo tam in deliciis, quàm ſectando vanitates, ipsóque facto non niſi meum beneplacitum ſpectando

Affectus. Confundar ob anteactam miſerrimè vitam, illámque ex corde abominabor. Sacrum horrorem ob Deum ad juſtiſſimam iracundiam provocatum conci-

piam

piam. Desiderabo in me vindicare Deum, quem contempsi, ipsíque satisfacere, mortificando me, & pœnitentiam agendo, præcipuè autem inviolabili fidelitate, qua statuam in cunctis actionibus meis non nisi gloriam Creatoris mei respicere. Committam me justitiæ Divinæ ad omne supplicium paratum, fatebórque, me ipsi obstrictissimum. O mi Deus! concedésne mihi tuam gratiam? hanc certè de infinita tua misericordia spero. O Virgo sanctissima! esto advocata mea (si tibi placet) obtinendo mihi sinceram pœnitudinem, & magnum peccatorum meorum dolorem.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo offenso, & me offensam agnoscente.

Punctum I. Ita est: peccavi: Ego Christianus, ego &c. Mille beneficijs præventus, hincque Deo mille nominibus obstrictus. Peccavi ego nutritus pane Angelorum; illustratus tot sanctis inspirationibus; habitus filij, amici, & servi Dei loco;

eo; cùm non essem, nisi pulvis & nihilum; fui nihilominùs tam effrontis audaciæ, ut ausus sim Divinam Majestatem offendere.

Affectus. Heu! totus erubesco, & quid agendum sit, præ confusione ignoro, dum recogito tam protervam meam audaciam. Non possum, tremende Judex, non possum sufficienter admirari tuam in me perferendo longanimitatem! Sincero corde doleo innumera mea scelera, & detestor prætéritam vitam. O Cœli! utinam possem revocare pristinos annos, diesque tot criminibus infames. Utinam saltem in amaritudine, & dolore constantis contritionis illos submergere liceret!

Punctum II. Verùm quid peccando feci? Deum ad iracundiam provocavi; Angelos contristavi; dæmoni ansam lætitiæ præbui; perdidi gratiam, aut ab ea saltem longè recessi; infortunatissimè deserui dignitatem filiationis, amicitiæ, & servitij Dei; me reum constitui purgatorij, aut ipsius etiam infernalis ignis. Cor meum enervavi, ne resistendo ampliùs par esset ten-

tentationibus, fierétque indignum cœlestibus favoribus. Tandem in præsentissimum periculum salutem meam, beatámque æternitatem conjeci.

Affectus. Fuítne unquam tantæ huic inordinationi in orbe similis; fuítne malitia majore supplicio digna? Potuíne eò dementiæ devenire, ut Creatorem creaturæ, me um beneplacitum Divino præferrem? O humiliationes! O confusiones! ô dolores! estote mihi auxilio, & subvenite; irruite in me, ut offenso Deo satisfacere queam. Et tu Divinissime Spiritus, quem toties contristavi, profanando corpus, & animam meam, quæ templum tuum erant, combure sanctissimâ tuâ gratiâ, combure errores meos igne perfectissimæ compunctionis. Concede etiam mihi gratiam, ut ex inordinata mea vita, hoc saltem emolumentum referam, ut meum nihilum perfectè agnoscam, méque prorsus abjiciam.

Punctum III. Quod intimo dolore animam penetrare debet, est, quòd peccaverim,

verim; in conſpectu Dei, quem contempſi; peccaverim in conſpectu proximi, cui ſcandalum præbui; peccaverim conſtitutus in gremio Eccleſiæ, quæ, cùm Deo ſit conſecrata, debet eſſe absque ruga, & absque macula; tandem peccaverim in intimis viſceribus cordis mei, in quo DEUS dignabatur habitare, & deliciari.

Affectus. Intendam, & duplicabo dolorem ex toto corde; & admirabor, in me tamdiu ſuſtinendo, Divinam patientiam, & longanimitatem. Gratias agam infinitas, quòd hucusque vitam, qua turpiſſimè abuſus ſum, mihi conſervaverit, ut agerem vel ſerò pœnitentiam. Offeram me juſtitiæ Divinæ paratum ad ſuſtinenda flagella, pœnásque omnes, quas ob adeò diſſolutam vitam mihi injungere placebit. Statuam amplecti vitam pœnitentiâ plenam, quæ ſufficiens ſit ad delendas pœnas criminibus meis debitas. O mi DEUS! robora debilitatem meam, & me indue armaturâ ſancti mei ipſius odij.

ME-

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo offenſo, & me agnoſcente offenſam.

Punctum. Quæ inſania! quæ rabies! peccavi per easdem potentias, per memoriam, per intellectum, per voluntatem; per eosdem ſenſus, per eosdem oculos, per easdem aures, eundem guſtum, eandem linguam, quos Deus mihi conceſſerat ad procurandam ſuam gloriam, & ad ſuum ſervitium impendendos. Ita ſcilicet abuſus ſum ipſius donis ad ipſum provocandum ad iracundiam. Ita ſcilicet creaturis, quæ eum in finem conditæ fuerant, ut me ad Deum attraherent, uſus ſum, ut mihi occaſio eſſent longiùs ab eo recedendi.

Affectus. Mi Deus! ubi ſat lachrymarum reperiam? quibus tam abominandam ingratitudinem deplorem. Quantùm heu! diſplicet tantam ſenſibus & potentijs meis cum conſcientiæ meæ grandi diſpendio indulſiſſe inordinationem. Augetur dolor meus dum video, quòd his ita abuſus ſim,

&

& quidem pro fumo vanitatis & inani delectatione. Eheu! potuíne præferre has inanes delicias obligationi, qua tenebar obedire & placere Deo non abutendo ipsius beneficiis. Verùm quàm turpiter propriis meis commodis obfui! dum intellectum, memoriam, voluntatem meam objectis prorsus indignis consecravi, quas potentias longè nobilius, majoríque meo bono rebus ad meam sanctificationem conducentibus impendissem.

Punctum II. Ipse modus, quo peccavi, pondus addit, & auget timorem; peccavi enim instar effrontis absque conscientiæ remorsu *sub specie peccatilli parvi*, vivénsque post tot voluntariè commissos errores adeò securè, ac si sciviſſem, certúsque fuissem, meum vivendi modum Deo plurimùm probari. Faciebam mihi laxam, nec ullius peccati anxiam conscientiam, & fingebam ista omnia exigui esse momenti, nec nomine peccati digna, quæ tamen debebant justum timorem judiciorum Dei incutere, in cujus oculis magnæ sunt considerationis, quia destruunt, quæ Deus circa

me decrevit, indignáque sunt personá, ipsi consecratâ.

Affectus. Mille tibi sint gratiæ, ô mi-Deus! quòd fueris tam longanimis in perferendis tot meis exorbitantiis, támque benignè exspectaveris, usque dum pœnitentiam arriperem. Ecce! decrevi ad pœnitentiam confugere ringente licèt illa ipsa sensualitate, quæ me in præteritam turpitudinem conjecit. Constanti animo aliam ingrediar vivendi viam, neque deinceps teneritudo conscientiæ meæ quemcunque defectum parvi faciet. Interea veniam rogo ob præteritos errores corde prorsus contrito, detestantéque priorem effrontem vitam.

Punctum III. Quæ mihi præ oculis versantur commissa crimina, ad desperationem me inducerent, nisi constaret mihi infinitam esse illius misericordiam, quem tam diris modis tractavi. Sunt scilicet innumera peccata mea, totúsque cotremisco, ubi tantam illorum conspicio multitudinem, quæ numerum arenæ in littore maris exsuperant, quémque solus Deus exactè ac

deter-

determinatè novit. Et eheu ! quanto non in timore & tremore oportet versari illum, qui credit, quòd unicum peccatum mortiferum infernum mereatur, unúmque veniale purgantes flammarum ignes ? quíque exinde dubitare non potest, se & plures infernos, plurésque purgatorios carceres esse promeritum.

Affectus. O mi Deus! quantæ non suppetunt mihi timoris causæ? quantæ, quæ mihi persuadere debent, ut maturè rebus meis prospiciam per promptam, & tantis criminibus proportionatam pœnitentiam. Absque mora itaque hanc arripiam, internè quidem per intimos contritionis actus, externè autem per generosas mei mortificationes. Et certè æquum est, ut, qui tam effreni licentiâ Deum offendi, absq; omni scrupulo per sanctum rigorem ipsi satisfaciam. Utinam impiè facta infecta fieri possent! aliam certè vivendi rationem auspicarer. Sed ista verba tantùm sunt; ad opus extendendæ sunt manus, peccato absolutè moriendum est, sensuúmque delectamentis, ut non nisi pœnitentiæ gratiâ vivamus.

DEUS, & EGO
DIES TERTIA.
MEDITATIO I.
Deus vindicans, & Ego Punitus.

Punctum 1. Deus ob malum uſum innocentiæ baptismatis, & conceſſarum gratiarum exacerbatus juſtiſſimè me privavit Divinis ſuis illuſtrationibus; hinc accidit, ut conſtitutus in miſerabili animæ cæcitate malum præ bono arripiam, perverſi mundi falſa principia Doctrinæ Evangelicæ lumini præferam; delicias tranſituras æternùm duraturis anteponam; naturæ depravatæ oblectamenta ſecter, relicto ſancto rigore gratiæ, & amorem meiipſius pluris faciam, quàm amorem Divinum. Et hæc eſt illa cæcitas, quæ vitam meam inordinationibus replevit, dignámque irâ Dei,& omnis generis ſuppliciis reddidit.

Affectus. Adoro te, Divina Juſtitia! etiam ſub tremendo tuo flagello conſtitutus.

tus. Lubens accepto abjectionem, quæ ob cæcitatem tam detestabilem justè me obruit. Verùm unà detestor pessimam electionem, quam mihi sæpius hæc affectata cæcitas persuasit. Eheu! Deus summè bonus? permittesne Divinæ tuæ justitiæ, ut in hac cæcitate miseranda me semper relinquat? Si tibi gratum est, ah! quamprimùm me inde eripe, idque ob tui solius gloriam, quæ aliàs inde infinitum recipiet detrimentum. Super omnia autem, largire mihi gratiam, ne deinceps fidam carnalis prudentiæ falsis luminibus, sed unicè lumen fidei sequar.

Punctum II. Altera pœna meæ contra Deum rebellionis est pessima inordinatio meæ voluntatis: nam cùm deberet amplecti bonum, quod vitæ spirituali inesse proponitur, ferè semper ad malum propendet, starque ex parte carnis, semper ad sensualia inclinatæ; & licet fides ipsi errorem eximere conetur, in quo à cæco intellectu quasi captiva detinetur ostendendo turpitudinem vitæ sensualis, & vicissim extollendo pulchritudinem vitæ supernatu-

naturalis, & mortificatæ, nihilominus propria malitia pervertens hanc illuſtrationem, agglutinatatam tenet voluntatem objectis, quæ blandiuntur ſenſibus, ipsáque caro illam ad delectabile, ad commodum, ad honores trahit.

Affectus. Etiam in hoc, ô Divina Juſtitia, te adoro, & accepto annihilationem, meámque humiliationem, in qua tua indignatio, indignationum funeſtiſſima, me detinet. Interea tamen conſtitutum mihi eſt, te auxiliante, quod mihi de tua gratia promitto, ab hac ſervitute ad libertatem aſpirare, non deinceps juxta pravam hanc voluntatem operando, ſed illam potiùs ſanctiſſimæ tuæ voluntati indiſpenſabiliter ſubjiciendo. Proinde ex nunc non erit mihi ampliùs ulla voluntas propria, ſed ſoli Divinæ obſequar, cujus omnes nutus, ſeu præcipientes, ſeu conſulentes fideliſſimè exequar. Et hæc, adjuvante Deo, erit illa innocens vindicta, quam ſumam de malis, in quæ me conjecit mea perverſa voluntas, dum nihil prorſus aggrediar, niſi quod inſpirabit ſola Divina voluntas.

Pun.

Punctum III. Tertium contra Deum ſuſcepti belli ſupplicium eſt, quòd Deus me permittat gemere ſub tyrannide mearum paſſionum, iræ, impatientiæ, vanæ delectationis, immodicæ triſtitiæ, inutilium deſideriorum, timorum &c. & quòd cogar vivere, eſséque miſer ſub continuo conflictu contra proprium meum bonum, & meam obligationem, dum in carne peccati exiſto, quæ non niſi peccato delectatur, nunquam non contra ſpiritum decertat, nec niſi ad delectabilia me inclinat.

Affectus Mi Deus! quantum ſupplicium, videre meipſum contra meipſum quotidie inſurgentem! O miſerrime intellectus! quàm malè te habent violentæ tuæ paſſiones! excute quamprimùm tam grave jugum, Deo te perfectè ſubmittendo. Statutum eſt contra carnem decertare; non aſpiciam deinceps hujus inclinationes, & deſideria, niſi, ut hæc & illas mortificem. Semper ſuſpectum erit, & averſabor quidquid ab illis provenerit. Tempus tandem eſt, ſpiritui, gratiâ animato, tantundem imperii, & prærogativæ tribuendi, quan-

tum sibi caro usurpaverat. Misericordiam tuam, mi Deus! imploro. Dulcora aliquantulùm hoc in puncto rigorem *justitiæ* tuæ, ut meum dominium adeptus illud absolutè in me exerceas. Scio, O Domine! quòd post meam contra te rebellionem jusseris omnes creaturas de me vindictam sumere; non peto hîc ullam exemptionem; amo, & amplector tormenta, à te immissa, sive à siti & fame, sive à calore & frigore, sive à morbis, & casibus infortunatis proveniant.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo Vindicante, & me Punito.

Punctum I. Ultra pœnas præsentis vitæ, quæ corpus & animam affligunt, Deus me condemnavit ad mortem. Certum proinde est, moriturum me, separandúmque ab amicis, à corpore, quod tanquam Idolum veneror, ab omnibus deliciis, omnibus etiam vanitatibus. Hæcque separatio erit violenta, extorta, & absque me-

merito. Majus utique meritum exinde ſperare liceret, ſi ab illis omnibus, dum vivo, me ſeparārem? Neceſſe eſt, ut fiat ſemel: faciamus ergo illud hodie; quò citiùs, eò meliùs.

Afectus O Cæcitatem! non cogitare de morte, & vivere, quaſi nunquam moriendum eſſet. O præpoſterum ordinem! affixum eſſe, & agglutinatum objectis, quæ velim, nolim, eò majore dolore, quo majore affectu ipſis inhæſi, deſerere oportebit. Heu! horrendum mortis momentum! ex quo æterna ſeu felicitas, ſeu infelicitas dependet. Quid in tam anticipiti, & tremendo deprehenſus momento optarem me feciſſe? cur non ergo idipſum nunc operor? Prô extimeſcendum momentum! utinam nunquam ex mente recedas!

Punctum. II. Quemadmodum indubitatum eſt, me moriturum, ita hora & momentum, locus & genus mortis ſunt incertiſſima, Fortaſſis hodie, fortè cras migrandum erit. Multi comedendo obrigueruntt; multi dormiendo obiêrunt. Alii veſtiendo ſe extremùm ſpirârunt; ubique &

per omnia mori poſſumus. Verùm an in ſtatu gratiæ, aut peccati, ſecretum eſt omnino inſcrutabile. An ſim deceſſurus ex paucorum, aut multorum dierum morbo, an ſubitanea, vel ſenſibili morte ſim Iperiturus, ſunt myſteria prorſus abſcondita.

Affectus. Heu ſolatio omni deſtitutam cogitationem! recordari tantæ incertitudinis. Ad hanc contremuerunt Sanctorum maximi. Quid ergo mihi peccatis immerſo, miſerrimóque fiet? Poſsúmne ſincero corde ridere, dum ignoro, quo in ſtatu mors me ſit abreptura? Cùm ergo hoc lubrico in ſtatu reſ meæ verſentur, non vivam ampliùs, niſi ut continuò per mortificationem moriar. Conſiderabo quemlibet diem tanquam ultimum vitæ meæ, & ſub noctem in lectulo tanquam in ſandapila me componam. Dum valeo, ſanús quę ſum, contemnam omnia, quæ mundus æſtimat, prout ea aſpernabor in ultimo meo morbo.

Punctum III. Magna conſideratione etiam perpendenda eſt ipſa morientis conditio; vis enim dolorum ſubtrahet decumbenti

benti vires cogitandi de Deo, ſerióque me applicandi ad animi negotia. Oportebit etiam me reflectere ad horrorem, quem concipiam de judicio Divino propter incertitudinem, quæ me anget, an verè ſim contritus, propter remorſum conſcientiæ, qui depinget exactum numerum, magnitudinem & gravitatem vanitatum, ſenſualitatum, aliorúmque defectuum contra Deum, & proximum commiſſorum, quorum omnium tamen, dum vixi, tanquam exiguorum peccatillorum fui incurius, fortè & contemptor.

Affectus. Hinc itaque non differam, conſcientiæ meæ proſpicere, præparabo me ad confeſſionem, quaſi mox moriturus; quâ peractâ auſpicabor talem vivendi modum, unde integra & perfecta emendatio apparebit. Præterea propono ex integro, & ferventer addiſcere rudimenta veræ patientiæ, reſignationis, contritionis, & amoris, quarum virtutum actus fatali illa horâ deſidero ad majus meum bonum & meritum in praxin redigere. Sæpius etiam in mentem revocabo ſtatum, in

quem à morte redigar, & jam ex nunc gratus acceptabo pulverem illum, in quem corpus meum juxta Dei ſententiam redigetur. Cupio confundere præſentem meam vanitatem, dum in mentem revoco horrorem, quem omnes ob meum cadaver recipient, ſpectabo etiam diligentiam, quæ adhibebitur, in me ob fœtorem & putredinem quàm citiſſimè ex ædibus removendo. Verùm éſtne hæc illa caro putrida, illud cadaver? quod tanti facio? cui ita blandior? propter quod me in periculum æternæ damnationis conjicio? O Cæcitatem nunquam ſatìs deplorandam!

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo vindicante, & me Punito.

Punctum I. Poſtquam anima per mortem erit à corpore ſeparata, in ictu oculi coram ſuo judice ſiſtetur, bonis & malis operibus incincta. Illo ipſo momento anima, quæ, dum in hac vita exiſtebat, non niſi carneis oculis prædita erat, ad per-

perſpiciendum ſenſibus delectabilia,& objecta naturali inclinationi accepta, longè aliis oculis donabitur, prorsúsque diverſo modo de deliciis & honoribus terrenis judicabit, quæ omnia ad exemplum Apoſtoli arbitrabitur ut ſtercora. Mox extrema confuſione obruetur, quòd his adeò fixè & non ſine crimine adhæſerit, dum ipſorum amore negotium ſalutis, Deíque ſui ſervitium contempſit. Hæc rerum facies miſeram animam in ſupremam conjiciet afflictionem.

Affectus. O anima mea! arripiamus absque mora alia, & his contraria media; aperiamus maturè oculos, ut pro merito deſpiciamus nugas & vanitates rerum creatarum. Vos delectabilia non ampliùs me decipietis; non aſpiciam vos poſthac, niſi cum indignatione, qua perſequar vos in extremo illo horrendi judicii die. Tu viciſſim mortificatio, quæ ſola me comitaberis ad judicem meum inſtar fidelis amici, eris ex hoc unica & ſola amica mea. Cupio & volo, ô tremenda, & formidabilis judicis mei præſentia! tibi deinceps totu

esse familiaris, tibíque singulis diebus omnium mearum actionum exactam reddere rationem.

Punctum II. Severus iste Judex exiget à me accuratam rationem à primo illo momento, quo ratione uti per ætatem licuit usque ad ultimum vitæ meæ terminum de omnibus meis cogitationibus, de omnibus meis verbis, de omnibus actionibus meis, de luminibus contemptis, de Sacramentorum usu absque fructu, de infinitis gratiis neglectis, de precibus distractè, & malè fusis, de lectionibus & psalmodia absque attentione peractis, de exemplis Sanctorum, Sanctarúmque, quæ non imitatus sum, de præceptis violatis, de excessu in cibis & somno, de recreationibus, de visitationibus aliorum, & conversatione cum ipsis.

Affectus. Hujus certè tam rigorosi examinis recordatio justum mihi debet incutere timorem. Heu! in quas angustias tunc redigar? non potero me uspiam abscondere, & comparere erit intolerabile. Jam nunc me terrent judicis mei ignem

spiran-

ſpirantes oculi; vocem ipſius omni fulmine formidabiliorem exhorreſco. Quid tunc fiet mihi, qui ero objectum ipſius vindictæ? procul dubio, ô mi Deus! ſi me absque miſericordia judicaveris, de me miſero æternùm erit actum. Quia verò adhuc tempus ſupereſt, quo res meas in ſecuro ponere licet, & anticipatò mea debita diſſolvere, judicabo meipſum, meipſum condemnabo ad agendam pœnitentiam totâ, quæ reſtat, vitâ.

Punctum III. Si Deus in tribunali juſtitiæ ſuæ me ſceleratum deprehendet, condemnabit me ad ignem, ad deſperationem, ad rabiem, & ad confuſionem, & infamiam æternam, & quod inferno longè intolerabilius eſt, privabit me æternùm viſione beatifica ſua, ad quam unicè creatus eram, & in hoc ſtatu neceſſariò compellar, ne unquam Deum amare poſſim, nec impedire me potero, quin tota æternitate ipſi maledicam.

Affectus. O æternitatem infeliciſſimam! quæ tot Sanctos timore conculſiſti, tótque enormes peccatores ad pœnitem-

nitentiam reduxisti. Utinam omnia illa, quæ in te concludis mala, perfectè cognoscerem! O ignis terribilis! cur non continuò ob oculos meos versaris? O confusionem! quâ, quamdiu Deus Deus erit, promeritus sum obrui. Utinam, ô infernè! omnibus, qui gravi peccato tentantur, salutarem timorem incuteres. Veni, ô dilecta pœnitentia! extinguamus unitis viribus horrendum hunc ignem. Obruat me, quidquid malorum in orbe est, paucis diebus efficietis, ut æternæ pœnæ immutentur. Puni, mi Deus! puni in hac vita hunc reum; de me liberrimè vindictam sume, dum mortali adhuc aurâ fruor; hîc puniendo mihi exhibebis gratiam, quia facili negotio sic delebo, quod ibi meritus essem sustinere.

DEUS,

DEUS, & EGO.

DIES QUARTA.

MEDITATIO I.

Continuatio de Deo vindicante, & me Punito.

PUnctum I. Cùm Deus acceptet ſponſionem, qua ipſi hac adhuc in vita ſatisfacere promitto, exigit tamen ejus juſtitia, ut millies de die ad aram ejus jugulem, immoléque depravatæ naturæ inclinationes, dulciſſimas etiam, & innocentiſſimas: imò requirit, ut in recreationibus, in converſationibus & colloquiis nunquam obliviſcar per aliquem mortificationis actum ipſam exhilarare, ſive fiat in reprimendo nimio affectu, quo in illa feror, ſeu dando modeſtiæ exempla, ſeu tolerando proximi defectus.

Affectus Mi Deus! ſiccíne etiam in exiguo hoc, quod requiris, juſtitiæ ſatisfieri poteſt? plurimùm námque dulcoris & bonitatis exinde elucet etiam dum procuras

curas juſtitiæ tuæ ſatisfacere. Ut itaque cum tua juſtitia pacem inire poſſim, aliud non requiritur, quàm familiariter uti mortificatione; unde ex hoc momento illam amplectar. Oculi mei, aures, cæteríque ſenſus mei ducite vobis honori mortificationem, ſecus etiam nolentes vos huic ſubjiciam. Ita eſt, ô bonitas Dei mei! acceptabile tibi erit, ut ſatisfacturus juſtitiæ tuæ ſæpius renuntiem etiam innocentibus deliciis, quarum uſum mihi liberaliſſimè conceſſiſti. An non rationi convenientiſſimum eſt, ſæpe à licitis abſtinere, cùm illicita ſæpius ſim ſectatus. O infeliciſſima ſenſualitas! quæ me hucusque ſeduxiſti, procul recede, mihíque ſpatium pœnitentiæ relinque ad ſatisfaciendum pro defectibus meis, quorum me culpabilem effeciſti.

Punctum II. Juſtitia Divina jubet, ut Confeſſarios meos tanquam Dei Vicarios aſpiciam, non accedendo ipſos, niſi cum magna reverentia, & ſubmiſſione, quam comitari oportet firmum propoſitum ipſorum conſilia ſequendi, & adimplendi pœniten-

nitentiam , quam injungent. Præterea requirit, ut reſpiciam Superiores meos tanquam Angelos invigilantes meis commodis, hoc eſt, ut nunquam conquerar de modo, quem in me tractando tenent, æſtimando murmurationes contra Confeſſarios, & Superiores factas, tanquam blasphemias contra juſtitiam Divinam. Econtra petit, ut acquieſcam cum omni indifferentia omnibus officiis, omnibus occupationibus ab ipſis mihi injunctis, recipiámque illa tanquam à manu Divinæ juſtitiæ, cùm per eos imponantur, qui ipſius ſunt conſtituti Vicarii.

Affectus. Ignorabam hucusque, mi Deus! dulcedinem juſtitiæ tuæ. Ergo illa plus à me non exigit, quàm ut ſubjiciar meo Confeſſario? accepto lubens hanc conditionem; ſequar cæcô modô, & absque tergiverſatione omnia ipſius imperia; abſit, ut illa aut de duritie, aut de rigore arguam. Heu! quam pœnam non ſum promeritus? dum Superiores meos non tanquam deputatos à Divina juſtitia ſu-

ſpexi,

ſpexi, murmurando contra ipſorum procedendi modum, dum mihi perſuadebam, ipſos mihi non eſſe bene affectos, dum iraſcebar, quando obligationis meæ à me exigebant obſervantiam. Deinceps illos tanquam tutores jurium Divinæ juſtitiæ magno honore afficiam.

Punctum III. Juſtitia Divina ulteriùs exſpectat, ut libenti animo tam publica, quàm particularia flagella, quæ immittet, acceptem; ut cum reſignatione patienter feram, Divinámque juſtitiam laudem, dum videro, ipſam me bonis exuere, ſanguinem ex venis extrahere, ex hac vita exturbare mihi chariſſimos. Vult præterea, ut, toleratis in ſilentio mille infortuniis, ſolùm cum Davide dicam: Ego tacui, quoniam tu feciſti. Imò exigit, ut non tantùm non rogem ab afflictionibus liberari, ſed ut potiùs dicam: O adoranda juſtitia Dei mei! ad ſatietatem tibi ſatisfacias, me corripiendo, affligendo. Quòd ſi autem juſtitia Divina inimica mihi videatur nimiùm parcendo,

cendo, conabor illam mihi demereri, meipſum ſpontaneis pœnis affligendo, ut iſtis blanditiis illam denuo mihi reconciliem.

Affectus. O me felicem! ingruant nunc tempeſtates adverſæ; urat aut frigus, aut æſtus; debilitent me morbi, & infirmitates præſentes aut futuri; exagitent me fames, ſitis, vigiliæ, labores, contemptus, deſpectiones, calumniæ. Cùm omnia hæc immittantur à Divina juſtitia, humaniſſimè advenientia ſuſcipiam, quia me juvant, ut ipſi juſtitiæ ſatisfacere poſſim faciliùs. O Divina juſtitia! utere his flagellis pro tuo lubitu; habes enim in illa abſolutum dominium: quò plura mihi immiſeris, eò majorem erga me teſtaberis amorem, eóque majore viciſſim te proſequar. De cætero, quocunque rigore in me animadvertas, exhibebis tamen, ut ſpero, gratiam, mihíque permittes, ut adhuc ſpontaneos ſuperaddam, difficilésque pœnitentiæ actus jejuniorum, flagellorum, ſetoſarum veſtium

&

& mortificationum tam judicii, quàm voluntatis propriæ. Tandem humilia, feri, occide. Quotunque modo in me animadvertas, ex intimo corde ignosco, quidquid pœnarum temporalium immiseris, modò æternùm punire supersedeas.

MEDITATIO II.

Deus ostendens mihi pessimum statum, in quo versor; & Ego desiderans illum descrere.

Punctum I. Deus contentus me terruisse, offert mihi interstitium, siquidem velim mutare malum statum, in quo versor, ejúsque turpitudinem ante oculos meos statuit, dum jubet me primo loco considerare, quomodo me erga Deum gesserim; quàm exiguum fervorem, reverentiam, & attentionem in meis precibus exhibuerim; quantos defectus in intentionis puritate, in gratitudine, in zelo gloriæ Divinæ commiserim; quàm parùm doloris de peccatis contra Deum commissis elicuerim; quàm exiguum desiderium

rium cum ipſo in mea collectione tractandi conceperim; quàm rarò Divinæ præſentiæ fuerim memor; quantus Divinarum inſpirationum fuerit contemptus &c.

Affectus. Mi Deus! quomodo tot annis potuiſti me in tam miſero ſtatu videre, & ſuſtinere? vix meipſum inibi tolerare queo. Potéſtne reperiri ullus Dominus, aut Domina, qui volent ſervum aut ancillam domi ſuæ alere, qui æquè parùm amoris, & ſolicitudinis erga ipſorum perſonam & ſervitium exhibuerit, ac ego erga Deum meum, & ipſius obſequia? Erubeſco mi Deus! confundórque. Cœlum & terram in teſtes advoco futuræ emendationis, quam conſtitui absque mora in ijs omnibus, quæ te concernunt. Studebo deinceps reverentiæ, amori, omnibúsque religionis actibus, Deo meo modo perfectiſſimo exhibendis. Tuâ fretus gratiâ adorabo te, laudabo te, gratias tibi referam pro viribus; offeram me & omnia mea tibi, dum verſabor in his ſanctis occupationibus. Fiat! Fiat!

Punctum II. Secundo loco exigit à me Deus,

Deus, ut reflectam me circa modum agendi, quem observo in meo statu; circa negligentiam, quam committo in perfectione, statui meo conveniente consequenda imitationéque Servatoris mei; circa teporem in observatione mearum regularum; circa impatientias provenientes ab immortificatione, quæ mihi jugum Religionis difficile reddunt; tandem circa exiguum amorem, & ingratitudinem, quam Religioni meæ exhibui, minimè curando ipsius honorem, nec connitendo, ut Religiosus vel Christianus sanctus evaderem.

Affectus. Quàm pœnitet me fuisse tam ingratum erga optimam matrem meam Ecclesiam, Religionem! quæ me tantâ curâ, tantô zelô educavit. Quantopere affligor, quòd tam languidè adhibuerim præstantissima media, quæ mihi ad meam sanctificationem concessit. O quàm digna esset lachrymis! si non numeraret alios filios, mortificationi magìs deditos, ferventiores, sanctiorésque, quàm me! Angele mi tutor, & protector meus! humilli-

millimè veniam rogo, quòd te per prava exempla, quibus proximo meo fui ſcandalo, toties contriſtaverim. Ah! nunquam deinceps honori Chriſtiani nominis, Religioſi tam turpem inuram notam; ſed vivam, ut decet verum Chtiſtianum, verum Religioſum.

Punctum III. Tertio loco requirit Deus, ut recogitem, qnomodo me geſſerim erga proximum. Fuíne prædítus amore ſincero, affectuoſo, & univerſali erga omnes? quoties animadverti inſultus averſionis, æmulationis, indignationis, & amaritiei contra proximum? an non ſæpe deliqui contra debitum reſpectum, æſtimationem, patientiam erga ipſum? quàm proclivis fui in ejus actionibus taxandis, in ijs parùm charitativè referendis, illísque malè interpretandis? Sempérne gaviſus ſum de ejus bono? & condolui ipſius malis? ſuper omnia autem, fuíne ipſi ſemper ædificationi?

Affectus. O miſera charitas; quàm indignè te tractavi! ô quàm fui incurius obſervantiæ, quam tantopere mihi com-

mendat Evangelium. Videor mihi non credidisse, Servatorem meum sibi reputari exhibita, quæ fratri meo aut præsto, aut nego obsequia. Ah amantissime Magister mi! Aperi oculos meos circa hoc punctum, & fac, ut profundè menti imprimam, illum, qui charitatem lædit, tangere pupillam oculi tui.

Punctum IV. Tandem vult Deus, ut ipsi reddam rationem de methodo, quam circa meipsum observo. Jubeor me odisse, & nimio amore in me feror; teneor vivere in annihilatione, & humiliatione, & quæro in omnibus honorem, & æstimationem à creaturis. Evangelium mihi imperat, ne unquam inclinationi naturali inhæream, & tamen omnem ipsius ductum sequor, dum fugio crucem, cujus sola memoria mihi timorem incutit, mortificatio Passionum mearum non nisi de solo nomine mihi nota est.

Affectus. Hic certè rerum miserrimus aspectus, mi Deus! justum horrorem meiipsius mihi incutit. Superbiámne deinceps, non habens ad hoc ullam causam?

cùm

cùm ſim nihil, niſi nihilum, & peccatum. Heu! quæ ſtoliditas? Scio nullum eſſe æquè mihi inimicum, ac meipſum; & tamen non ceſſo mihi blandiri, mihi connivere. Quanta hîc ineſt ſtultitia? deponam proinde hanc ſtupiditatem, méque deinceps pro meritis tractabo, contemnendo, caſtigando, prorsúsque abnegando meipſum.

MEDITATIO III.

Continuatio prioris materiæ.

Punctum I. Deus tantæ bonitatis eſt, ut mihi inſuper demonſtret principales cauſas meorum errorum; quarum prima eſt, quòd non continuò præ oculis habeam finem Creationis, & vocationis meæ, nec efficax deſiderium perficiendi meipſum, dum contentus vixi velleitatibus, & propoſitis inefficacibus in præteritis confeſſionibus, & orationibus meis, non ſolicitus, quomodo ea in praxin redigerem. Hucusque non niſi in genere attendi ad perfectionem meam, nec ſimul efficacem

voluntatem concepi diſquirendi & adhibendi media convenientia ad actiones particulares bene peragendas.

Affectus. O quàm verum eſt, quod ait S. Bernardus, infernum plenum eſſe bonis deſideriis, cœlum autem bonis operibus? Hæc veritas in me excitat juſtum timorem, quòd hucusque mihi blanditus fuerim, quaſi multa feciſſem, cùm tamen tantùm in genere habuerim voluntatem ad ſanctitatem contendendi, non ad particularia extendendo manus. Cupiebam quidem eſſe perfectus in meo ſtatu, ſed id absque mortificatione, & absque violentia erga meipſum. Incipiamus proinde & dicamus cum Davide: Nunc cœpi. Ex hoc inſtanti volo eniti vincere meam vanitatem, meam impatientiam, meas paſſiones in ordinem redigere, amare humiliationem, collectionem &c.

Punctum II. Altera origo malæ vitæ, in qua me reperio conſtitutum, eſt inconſtantia in ſuſcepta virtute Chriſtiana. Sub minima difficultate fatiſco, móxque defatigatus nauſeabundus concido; hoc autem

tem contingit, quòd non sufficienter æltimem Sanctitatem, & exinde exiguum illius concipiam desiderium. Mundo diti, qui magni faciunt divitias & honores, perseverant in eorum prosecutione, sustinentes mille labores, mille incommoda, & mille concoquendas difficultates, usque dum eorum fiant participes; eodem modo, si magni æstimarem perfectionem, firmus persisterem in ea acquirenda, nihílque esset adeò potens, quod me posset ad eam deserendam permovere.

Affectus. Infortunatissima inconstantia! quæ pessumdas omne bonum principium, ex intimo corde te detestor. Quantum mihi hinc dedecus? dum video inflexibilem pertinaciam eorum, qui depravatas mundi leges mordicus observant, nec dimoventur, licèt in contrarium illos impellere deberet tremendus horror, quem de inferno concipiunt. Cur non ago pro Deo, & æterna mea salute, quod tot malè sani pro interitu æterno aggrediuntur constantissimè in detestabili sua praxi perseverantes? Divine Spiritus! largire mihi

donum fortitudins; absque hoc enim ero, qui fui hactenus, debilis, inconstans, & ad quemlibet venti flatum instar arundinis flexibilis.

Punctum III. Tertia radix meorum malorum est, secutum esse pessima principia, dum vixi juxta prava imperfectorum exempla, qui contenti valde debili virtute vitam traducunt inclinationi naturali conformem; cùm potiùs debuissem imitari ferventes, & mortificationi deditos, qui sibi laudabilem vim inferunt, ut acquirant eminentem illum virtutis gradum, ad quem eorum vocatio illos provocat. Et hinc in periculum manifestum conjeci salutis meæ negotium, cùm perquàm difficile sit negligere absque periculo salutis virtutem, ad quam obligatur verus Christianus. Non enim Deus me vult salvare, nisi per viam & media meæ vocationis, quæ à me exigit sanctitatem.

Affectus. En iterum novum æternæ meæ confusionis objectum! in quocunque alio negotio optimum semper eligo;

at in materia virtutis non eligo nisi pessimum. Quid profuit insistere vestigiis imperfectorum, & sensualitati deditorum? an non magis decuisset exempla Redemptoris mei, ejúsque ferventium sequacium mihi proponere, & imitari, quæ Ecclesiæ Dei plurimos Sanctos enutrierunt? Erant homines mei non dissimiles, æquè debiles, & à natura æquè sui amantes, ac ego; verùm à gratia adjuti extulerunt se ultra debilitatem suarum virium. Et cur hos, aspirante gratia Divina, non imitabor? Sed quid prodest in majorem meam confusionem tot verba perdere? Erit mihi præcipua deinceps regula, sequi debitum, & obligationem vivendi juxta modum, quem bonitas Divina à me exigit. O Virgo glorioſissima corrobora hoc pulchrum propositum, & impetra mihi, ut juxta illud vivam!

DEUS, & EGO.
QUINTA DIES.
MEDITATIO I.
Deus offerens media contra mea peccata, & Ego illa acceptans.

Punctum I. Primum medium eſt, conſiderare, quòd ſtatus tepidus & imperfectus Deo infinitè diſpliceat, eùmque ad juſtam iram & indignationem provocet. I. Quia Deo reddit malum pro bono. II. Quia fructum vocationis non ſinit matureſcere. III. Quia ſe opponit gloriæ Divinæ. IV. Quia contumeliam infert ipſius ſponſæ, quæ eſt Eccleſia.

Affectus. Licebítne attollere oculos, & comparere coram Deo, quem tam malè tractavi? Potuíne eheu! eſſe infelix ille ad cujus adſpectum continuò Deus provocabatur ad nauſeam? Extricemus nos, ô chariſſima anima! ex infami hoc ſtatu, & ex impoſſibili faciamus poſſibile, dando Deo tantam complacentiæ anſam, quan-

tam

tam ante hac displicentiæ dedimus. O amabilissime mi Custos Angele! interpone tuam apud Deum auctoritatem, mihique impetra gratiam sequendi tuam doctrinam, ut Deo in omnibus meis actionibus placere queam.

Punctum II. Secundum medium erit, perpendere, quòd Christianus in amore Dei tepidus magnam injustitiam Religioni Christianæ inferat. I. Enim imperfectè vivit in schola perfectionis. II. Quantùm in ipso est, in exilium conjicit omnem sanctitatem. III. Præbet Ecclesiæ causam plurimorum gemituum, & lachrymarum, dum videt se oneratam malo Christiano. IV. Alios à via virtutis absterret, qui bona & ferventia concipe-rent proposita.

Affectus. O Bonitas æterna! quare non ex paradiso tuo terrestri jam dudum tam malorum fructuum arborem projecisti? Hic scilicet effectus est patientiæ tuæ infinitæ, quæ continuò exspectat, ut me tandem filiatione tua dignum reddam. Ita constitutum, ita decretum est; te auxi-

liante, ſpero me in tantum fervorem eruperurum, quantus requiritur ad compenſandam præteritam tepiditatem, & ad fructus bonos deinceps proferendos. O mi Angele Cuſtos hîc quoque maximopere precum tuarum auxiliô indigeo, ne tibi deinceps gravis ſim recedendo ab eo, quod à me Deus exigit.

Punctum III. Tertium, quod Deus offert medium, erit, diſpicere, quantum damni ſibiipſi inferat imperfectus I. Nunquam vera & ſincera pace fruitur, remorſu conſcientiæ continuò animam infeſtante. II. Non implet promiſſa Confeſſario ſuo facta, quibus pollicitus eſt contendere ad perfectionem, mortificare ſeipſum, eſſe fidelem Deo, & Divinæ gratiæ. IV. Conjicit ſe in evidens periculum, ne à Deo hac in vita, & in altera reprobetur juxta comminationem, quam ſacræ paginæ intonant in hæc verba: Malè vixit in terra Sanctorum, in æternum non videbit gloriam Dei.

Affectus. O quàm turpis fuit ordo vitæ meæ? quantô odiô meipſum proſecutus ſum?

ſum? quanta eheu! fuit cæcitas mea? Durabítne hæc inordinatio adhuc diutius? Eróne ſemper DEO tam infidelis? nunquámne ad implebo, quod DEO, ejúsque locum tenentibus promiſi? Tempus profectò eſt, ut rebus meis proſpiciam, ne illo periculo, quod DEUS minatur, miſer involvar: timendum enim, ne, ſi diuciùs emendationem differam, ſubtrahatur mihi gratia, & mihi ſoli relinquar. O ſancta mortificatio! propera in auxilium mihi; tecum enim præſtabo mirabilia; utinam tecum indiſſolubilem inire liceret ſocietatem! Jam iterum proſtratus te, amabiliſſime Angele, precor, ut ope tua, & directione adjutus, augere queam numerum filiorum DEI.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo offerente media contra mea peccata, & Me illa acceptante.

Punctum I. Alius depravatæ meæ vitæ fons inde oritur, quòd jam aſſueve-

rim actiones meas quotidianas malè agere, contentus illas præstare, non curando, an bene fierent, cùm interea parùm aut nihil sit, externum absolvisse opus, orâsse, confessum esse, accepisse sacram Evchariſtiam, in se flagello sæviisse, &c nisi hæc omnia fiant ex spiritu boni Christiani, & pœnitentiæ. Proinde diligenter notabo, quòd externum virtutis opus tamdiu sit sine fructu, quamdiu ipse spiritus, & virtutis illius anima opus non comitatur, cùm exteriora non sint, nisi cortex virtutis, non ipsa virtus; & instar corporis, quod absque anima nec sentit, nec vivit; hócque ita intelligendum, quòd ipsa etiam oratio vocalis sinè interiore cordis, & mentis elevatione ad Deum, humilitas externa sine sui ipsius despicientia interna, pœnitentiæ opera non ex corde contrito, & pœnitente orta &c. non sint nisi apparentes virtutes, virtutísque nomine indignæ actiones.

Affectus. Mi Deus, cùm hæc veritas sit certissima, ô quàm paucæ sunt veræ vir-

virtutes! quàm rara vera devotio! vera charitas! vera obedientia? &c. O cœli! quàm deploranda est illusio, neglectô horologiô contentum esse solo indice, sola externa specie. Heu! quàm miserè me-ipsum hac in re decepi! Ah! quàm justam hîc reperio causam me annihilandi, dum non possum asserere, me vel unicam actionem vera virtute informatam præstitisse. Quàm meritò exclamare possum cum sancta illa anima: Exterret me vita mea, in qua non video, nisi peccatum, aut sterilitatem, aut hypocrisin! O mi DEUS! mi Judex! videor mihi in lectulo mortis in ipso agone constitutus audire tremendam illam vocem: Appensus es in statera, & inventus es minùs habens. O anima mea! afferamus sine mora remedium; incipiamus ex hoc momento bene facere actiones nostras conjungendo interiora externis.

Punctum II. Quia Deus volebat falsæ virtuti larvam detrahere, ideo incepturus reformare mores, primam suam scholam & lectionem in monte habitam à virtute

interiore inchoavit. Nunquam Christus majore fervore peroravit, quàm cùm invehetur in justitiam Pharisæorum; hanc enim non alia de causa sub hypocrisis nomine infamem reddidit, quàm quia tantùm erat extrinseca, consistens in decenti quadam corporis, membrorúmque compositione, & externis ceremoniis. Magni proinde facienda sunt verba Filii Dei, dum ait: Beatos esse pauperes spiritu; beatos mundo corde; beatos esurientes & sitientes justitiam &c. ubi apparet, illum exigere spiritum, cor, & interiora, negaréque illam esse virtutem, quæ non emanat ex spiritu, & motivo interno, per quem exteriora debent animari.

Affectus. Mille tibi sint gratiarum actiones Servator mi! ob hanc pretiosam instructionem. Doleo, quòd hanc tam serò addidicerim, aut tam tardè in praxin redegerim. Imprime illam adeò profundè cordi meo, ut inde magnum devotionis augmentum sumam. Accedam deinceps ad orationem, aut officium Divinum stimulatus spiritu Religionis, adorando, laudando

dando, gratias agendo Deo meo, & recogitando, quantopere ipsius ope indigeam, & à gratia ipsius dependeam. Ubi erit laborandum, suscipiam laborem, & officium injunctum ex spiritu obedientiæ, & pœnitentiæ, cùm peccatum hominem ad laborem condemnaverit. Cibô, somnô, relaxatione non utar, nisi quantum exiget scrupulosa necessitas; nec alio fine, nisi ut exinde aptior sim ad serviendum DEO.

Punctum III. Expendam rationes, quæ Deum movent ad exigendam virtutem internam. I. Cùm Deus sit Spiritus, justum est, ut adoretur in Spiritu. II. Deus vult in sua Sponsa veram Sanctitatem, quæ in interiori consistit, cùm sacra scriptura nos doceat, Pulchritudinem Filiæ Regis ab intus. III. Vult Deus, ut anima mereatur per suas actiones; cùm verò aliunde constet, meritum dependere ex voluntario & interiore, ideo requirit, ut actiones nostræ, ut mereri possint, animentur à Spiritu interiore.

Affectus. Convictum me, fateor ô Domine!

mine! ô Deus! ex nunc totum me tradam internæ virtuti. Laudabo, amabo te, tibíque ſerviam in Spiritu, & veritate. Ob hoc in meipſo totum me colligam, vivámque ſub lumine oculorum tuorum, qui mihi perpetuò de hoc amabili interiore Spiritu loquuntur, qui, quemadmodum virtutem efficit, ita etiam Te ad ſe trahit. O rem longè pulcherrimam! videre animam ita diſpoſitam, ut omnes actiones ſuas animet Spiritu, & motivo interno, quo virtuoſæ, & homine Chriſtiano dignæ redduntur. Nunquámne ero ex his electis, & verè Spiritualibus? Mi Deus! ſpero me ex tua gratia talem futurum.

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo offerente media contra mea peccata, & Me illa acceptante.

Punctum 1. Tertium medium, & absque dubio præcipuum eſt, ſubdere ſe cordatè mortificationi. Expendam hujus rationes. Intenderat Deus, ut corpus ſubjice-

jiceretur animæ ; paſſiones rationi ſub-derentur, & ratio ipſi Deo obediret; cùm verò peccatum pulcherrimam hanc ſub-ordinationem evertiſſet, non potui hanc (quod ſummè tamen neceſſarium eſt) ite-rum reparare, niſi auxiliô mortificationis, quæ ſola domare poteſt carnis rebellio-nem, paſſiones cicurare, ſuperbiam de-primere, & in nobis reſuſcitare, & impe-rium reſtituere animæ, rationi, Deo.

Affectus. O ſi poſſem revocare aureum illud ſæculum, & ſtatum Innocentiæ! ubi omnia erant ordinatiſſima. Sed eheu! fruſtranea ſunt verba ; fruſtra vota ; ſola mortificatio huic defectui ſubvenire po-teſt. Habeat ergo hæc in piis meis actio-nibus præcipuum locum ; non gloriemur in iſtis, niſi cum illa ſint conjunctæ. Diffi-cillimum hoc in negotio eſt, quòd iſta mortificatio, ut poſſit illum effectum, quem opto, operari, debeat eſſe I. Uni-verſalis, séque extendere ad omnia, quæ blandiuntur naturæ. II. Continua, quia caro perpetuò inſurgit adverſus Spiritum. His non obſtantibus, absque exceptione

& in perpetuum me ſubjicio imperio chariſſimæ hujus virtutis, ipſius directionem in omnibus, & per omnia, ſecuturus.

Punctum II. Illud, quod in me mortificatione indiget, absque dubio eſt I Amor meiipſius, qui ardentiſſimè inhiat omnibus, quæ quieti, & vanitati ſuæ blandiuntur, averſatúrque longiſſimè, quidquid pœnarum, aut humiliationum eſt, quod vel minimam moleſtiam ipſi inferrepoteſt. II. Mortificatione opus habent paſſiones prædominantes, iræ, impatientiæ, triſtitiæ, amoris, averſionis &c. quæ fortiora impedimenta mihi objiciunt, ne meiipſius Dominus eſſe poſſim, aptiórque fiam ad Deo ſerviendum. III. Eandem exquirit nimia ad creaturas agglutinatio, ad parentes, amicos &c. quæ, an nimia ſit, dignoſci poteſt, ſi frequentiùs de ijs cogitemus; ſi gravatè ab ijs ſeparemur, ſi eorum videndorum, aut ab iiſdem recipiendarum litterarum, novorum &c. nimiô teneamur deſideriô.

Affectus. O quàm multa habeo mortifica-

ficatione reſcindenda! oportet tamen urgere opus, & ad finem perducere. Incipiendum autem eſt à ſubjugatione amoris proprii: ille quidem obmurmurabit, vociferabitur, petétque in dies ſibi fieri inducias & gratiam. Verùm jam decretum eſt; indico ipſi bellum, à quo me nulla ejus miſeratio retrahet. Vos quoque inclinationes naturales, etſi vobis tenerè afficiar, hoc in certamine ſuccumbetis. Et tu ratio humana rationi Divinæ incurvaberis, & ſubjicieris; túque carnis prudentia lumini Fidei, quæ omnes meas actiones dirriget, cedere debebis. Ad hoc obtinendum mortificationi ſtrenuè inſudandum erit; ſit ita: paratum me ſiſto, licèt hanc victoriam etiam fuſo ſanguine oporteat comparare.

Punctum III. Media, quæ mihi pulchrum hoc propoſitum perquam facile efficient, ſunt I. Magni æſtimare mortificationem, cùm nihil ſit æquè jucundum, æquè honorificum, quàm poſſe ſibi ipſi per paſſionum ſuppreſſionem dominari. II. Nunquam ſolida pace fruar, neque

vera

vera quiete, nisi horum rebellium periculosos insultus repressero. III. Nec propria salus erit in securo, nisi post passiones domitas. Ad hoc proinde obtinendum præcipuum erit medium collectio, & præsentiæ Divinæ continua repræsentatio; non enim illi difficilis accidet mortificatio, qui cogitat se in oculis Dei stare, cui cupit in omnibus placere.

Affectus. Prô! quot rationes? cogor fateri, summam instare necessitatem in singulos dies, & horas suscipiendæ mortificationis. Non exigo alias praxes ad res spirituales perfectè obeundas; sufficit praxis universalis in sola mortificatione; cum hac omnia, sine hac nihil obtinebo. O Sancta mortificatio! suscipe me in tuam societatem, me tibi futurum fidelem spero, non me unquam deseras seu in visitationibus aliorum, sive recreationibus, seu in quacunque quiete, & relaxatione. Tuus sum, tuúsque perpetuò ero. Cuicunque mundanæ pulchritudini claudam exhinc oculos. Valete elegantes vocum fidiúmque sonori concentus, meas deinceps vo-

bis

bis non accomodabo aures; recedant delicata fercula, cibíque exquisiti, posthac ad meum gustum non eritis. Ecce! eo in loco constitutum me sentio, in quo me gratia Divina esse exigit. Utinam hîc perseverem. Fiat!

DEUS, & EGO.

DIES SEXTA.

MEDITATIO I.

Deus mihi ostendens meum Redemptorem tanquam Divinum prototypon, & Ego illud depingens.

PUnctum I. Cùm Deus videret, omnes hos conatus inefficaces esse ad me convertendum, atque ad sanctificationem perducendum, misit Filium suum, carne humana tectum, qui mihi cooperaretur cœlesti sua doctrina, & exemplis sanctitatem conferentibus, quibus me ad præstitutum finem consequendum stimularet. Considerabo hîc necessitatem depingendi

Divina

Divina hæc exempla, & conformandi meam vitam ipſius vitæ: cùm S. Paulus dicat: nullum prædeſtinari, niſi qui ſe conformaverit imagini Filii Dei. Pondera verbum: Prædeſtinari; & perpende hanc gratiam indiſpenſabiliter alligatam eſſe ſoli Chriſti imitationi. Quaſi diceret Apoſtolus, amandum eſſe, quod amavit Chriſtus, paupertatem, abjectionem, tolerantiam &c. contemnendum verò, quod ipſe contempſit, delicias ſcilicet, vanitates, divitias &c.

Affectus. Pater æterne! quantùm tibi ſum obſtrictus, ob conceſſam mihi tam præſtantem imaginem? Laudent te, tibíque mei locò Angeli, cunctíque cœli incolæ mille gratias referant. Vos mundi depravata exempla, vos mundi fallacia dogmata me non decipietis ampliùs, dum Servator meus me docet, vobis non niſi ineſſe corruptionem, & mendacium. Mi Deus! imprime vitæ meæ imaginem vitæ tuæ humano-Divinæ. Utinam non ampliùs inſtar Adami filii viverem! ſed inſtar filii Chriſti JESU. Non amabo deinceps,

ceps, nisi quod Servator meus amavit; nil magni faciam, nisi quod me ipsi similem reddat. Et licèt me terreat mea fragilitas, omnia tamen possum in eo, qui me confortat.

Punctum II. Ut magis firmus huic generoso decreto insistam, omnia bona, quæ hîc continentur, mihi ob oculos ponam. I. Enim reperitur hîc bonum honestum, quia nihil in servitio Filii Dei honorificentius, quam esse similem Divino huic Magistro. II. Bonum utile, quia exiguo labore dives efficior, si infinitè meritorias ipsius actiones meis conjunxero. III. Bonum delectabile, quia hac imitatione unus efficior cum Servatore meo, qui est objectum, in quo Pater cœlestis sibi summè complacet, quique secum fert opobalsamum, quo tanquam dulcedine cœlesti inunguntur, & dulcorantur animæ ipsi fideles.

Affectus. Ignosce mihi miserabile cor meum, quòd te tam malè habuerim, dum te oblectare conatus sum objectis amaritudine plenis, & solidâ lætitiâ destitutis. O quanta hinc mihi infamia! quanta confu-

ſio! Debebam, & poteram te ſanctiſſimè veris deliciis inebriare, quæ reperiuntur in imitatione Servatoris mei JESU. Agnoſco me tibi fuiſſe injurium, & proteſtor, me deinceps habiturum majorem commodorum tuorum curam. O quantis innato gaudiis! quòd repererim perennem, & feliciſſimum fontem omnis boni, veri honoris, & innocentiam ſolatiorum. Mi Deus! oſtende illum plurimis animabus, quæ in ipſis etiam monaſteriis non inhiant niſi ſenſualibus & evanidis conſolationibus. Quantùm doleo, quantùm me pudet, quòd tanto tempore in horum numero fuerim.

Punctum III. Si imitari cupio JEſum, nunquam erubeſcere debeo eadem agere, & eadem pati, quæ ipſe egit, paſſúsque eſt. Potiùs confundi debeo, qnòd non faciam, nec patiar ſicut ipſe. Hinc conſiderabo S. Paulum, qui non gloriabatur, niſi in cruce Domini ſui, reliquósque Apoſtolos, qni gaudiô pleni triumphabant in adverſitatibus, & perſecutionibus, quæ illos dignos reddebant imitatione

vitæ

vitæ JESU Christi humiliati, & extrema patientis.

Affectus. Quàm procul hucusque abfui à tam sublimi cogitatione? ferme in iram exsurrexissem contra Divinam providentiam, etiam dum minimam tolerantiæ præbebat occasionem. Fateor, me antehac nunquam cognovisse pulchritudinem, & pretium meiipsius abjectionis. Sed laudetur Deus, quòd mihi in Filio suo hujus decorem & præstantiam declaraverit. Expavescebam vehementissimè paupertatis effectus in cibo & potu, in vestitu & habitatione. Nunc præ gaudio exultabo, si ad exemplum Domini mei JESU quosdam experiri possim. Verbo ero deinceps fidelis, & constans imitator JESU mei. Ah! nimius est honor (si pro meritis æstimare novero) similem esse JESU meo. Mi Deus! exhibe mihi hanc gratiam, agnoscam hanc pro singulari beneficio immensi tui in me favoris.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo mihi ostendente meum Redemptorem tanquam Divinum prototypon, & Me illud depingente.

PUnctum I. Seriò mecum ipso perpendam, quòd præcipuum donum, quo Pater Cœlestis hominibus gratificatus est, fuerit ipsa è cœlo missio Filii sui ad nos redimendos, quem in finem voluit, ut nobis JESUS serviret tum pro regula bene, & cautè vivendi, tum pro via, per quam securè ad Deum perveniremus. Postquam pro tanto beneficio meritas egero gratias, considerabo, quòd, si ipsum non amem, diligendo, quod ipse amavit, & contemnendo, quod ipse contempsit, redditurus sim finem æterni Patris inutilem, & adventum Filii Dei infructuosum. Sufficientérne penetro hanc veritatem? satísne video, quid tanta rerum confusio promereatur? An non cogeretur me Deus tanquam pro desperato deserere? tanquam

qui nolim ullam cum prædestinatis habere similitudinem.

Affectus. O quàm malè tanti momenti veritates assecutus sum? quia tam protervè & crudè Divinum ordinem inverti. Quâ conscientiâ me potui nominare Christianum? cùm sensualitati deditus secutus sim exempla reproborum filiorum Adami. Quâ ratione potui videri Christianus? seu, quod idem est, qui curaret coram oculis hominum repræsentare exempla Christi humilis, contempti, mortificati, nullâque in re suæ voluntati unquam satisfacientis: Christus non sibi placuit. Tanta sunt, quæ hîc objiciuntur, ut illis ferendis non ampliùs sufficiam. Renuntio proinde molli illi vivendi generi, juxta quod hucusque vixi, ut amplectar severam vivendi normam, quam me edocuit Homo - Deus. Nulli Sancti, nullæque Sanctæ aliam vivendi formam observârunt. Hinc, cùm æque ac illi tenear ad sanctitatem tendere, ipsorum premam vestigia, & imitabor Dei Filium.

Punctum II. Discedens ab imitatione

Servatoris mei triplici ipſum injuria afficio. I. Injurius ſum ipſius infinitæ ſapientiæ, quaſi ipſi exprobrarem, quòd ignoraverit, quæ optima eſſet vivendi norma, viáque rectiſſima ad cœleſtem gloriam obtinendam, dum elegit paupertatem, abjectionem, contemptum, labores &c. II. Bonitati immenſæ, quaſi charitas ipſi defuiſſet, dum mihi perſuaſit, ut peſſima ſectarer. III. Potentiæ Divinæ, quaſi dediſſet mihi exempla niniùm dura, niniùm acerba, nec ſimul addidiſſet auxilia, & neceſſaria debilitati meæ ſolatia.

Affectus. O admirandam Servatoris mei patientiam! quæ tamdiu injurias tam atroces ſuſtinuit. Heu! quàm mihi ipſi fui inimicus, qui tam crudelem me erga ipſum JESUM meum exhibui. Vindicabo in me tantum crimen. O Sapientia! O Bonitas! O Omnipotentia Divina! adſum paratus ad vobis optimô modô ſatisfaciendum. Submitto me totum, ſimúlque affirmo, optimum illum eſſe vivendi modum, quem ſtatui amplecti. Hac, hac ratione emendabo ſcandalum, & peſſi-

ma exempla, quibus hucusque proximo meo præluxi, ipsíque causa ruinæ fui.

Punctum III. Dicitur, & quidem verissimè, magnum crimen esse, negare Christum; & reipsa Christus, utut mansuetissimus, comminatus tamen est, se negaturum, qui ipsum negâsset. Verùm an non ego hujus criminis reus sum? nónne ego ipsum negavi? dum non sum ipsum imitatus? an non negavi ipsius humilitatem mea superbia, & vanitate? ipsius paupertatem nimiâ curâ meorum commodorum? ipsius crucem, & passionem mea sensualitate? Cogita nunc anima mea, qua gratiarum subtractione non mereatis puniri. Dum Sanctus Petrus amarissimè deflet trinam negationem, docet me, qua ratione possim, & debeam iram Servatoris mei toties negati placare.

Affectus. O mitissime mi JESU! prostratus ad pedem sanctissimæ tuæ Crucis, quam indignis modis negavi, totus contremisco ob tam enorme crimen. Si ad hoc delendum sola confessione opus est, confiteor coram cœlo & terra, me te mi

lies & millies negâsse. Confiteor me tantùm nomine tenus fuisse Christianum, & non nisi in exteriore apparentia devotum. O Cœli! quantopere timeo, ne Servator meus juxta justissimas minas suas me negaturus sit, cùm plures jam negaverit, me longè innocentiores. O misericordia! ad te confugio, impetra mihi veniam de præteritis ob propositum, quod facio, per accuratam & fidelem confessionem agglutinatam imitationi Servatoris mei reparandi plùs quàm trinas negationes meas.

MEDITATIO III.

Deus Annihilatus, & Ego Annihilatus.

PUnctum I. Ut igitur ad particularem imitatationem Divinæ mihi propositæ Ideæ descendam, considerabo Servatorem meum in particularibus circumstantiis; & primò quidem in ipsius Incarnatione. Videns Deus corda hominum ad vitæ emendationem parùm commoveri memoriâ mortis, judicii & inferni, humanam

nam naturam induit, ſeipſum in propria perſona totum impenſurus converſioni hominum, eósque per propria exempla extracturus ex inordinatione, quâ involvebantur, vanitati prorſus dediti, & falſa æſtimatione mundanæ gloriæ, ejúsque ſplendoris omnino ineſcati. Hunc ob finem egreditur de ſplendore gloriæ ſuæ, poſitóque omni apparatu Majeſtatis ſuæ produxit ſe in annihilatione, in fragilitate, in debilitate, & contemptu, ut nobis oſtenderet viam, quam premere oportet, ne erremus in aliis ſemitis, deceptione, & peccato plenis.

Affectus. Profundiſſimè me inclinabo, & admirabor incomparabilem hanc bonitatem. Adorabo, amabo, offeram me totum ſincero affectu Divino ejus ſervitio. O quàm juſtum eſt, juxta hoc exemplar vivere! annihilato annihilatum, contempto contemptum conformari! Tibi Verbum incarnatum! pleniſſimum ad gloriam competebat jus; hinc miraculo non caret, videre te annihilatum. Verùm meum nihilum, meáque crimina non me-

rentur aliud præmium, quàm abjectionem; & quando ſum in annihilatione, ſum in loco mihi conveniente, & proprio. Maneamus itaque in hac, ô anima mea! reputemúsque omnia illa, quæ nos humiliant, inter maxima bona noſtra, à quacunque tandem manu proveniant.

Punctum II. Verbum proinde homo factum eſt; verùm quemadmodum humanitas ſubſiſtit in perſona Divina, & non in ſua propria, ne in minimo quidem ſeipſum quærit, non reſpicit ullum particulare, aut proprium commodum, quia in omni re non ſectatur niſi gloriam, & beneplacitum Divinum. Et quia Chriſtus (qui ſcit, quòd Deus, qui in cœlo de exaltatione creaturarum gloriatur, non velit in terra ab ipſis aliam gloriam, quàm quæ ab ipſarum annihilatione procedit) deſiderat æterni Patris gloriam juxta ſanctiſſimum ejus beneplacitum promovere; hinc non niſi humilitati ſtudet, méque invitat, ut ejus premam veſtigia negando aures inclinationi amoris proprii, qui quidem optaret ſervire Deo, ſed in ſplen-

dore

dore illustriuin officiorum, quæ est manifesta illusio, cùm non sit melior modus Deum glorificandi, quàm imitatio Filii ejus unigeniti.

Affectus. Heu! mi JESU! quàm procul absum ab imitatione admirandæ tuæ annihilationis, & à contemptu meorum commodorum. Continuò tantùm cogito de me, de rebus mihi blandientibus, de meis commodis. Toto die inquiro, quomodo mihi satisfaciam, cùm in omnes actiones meas se plurimum de amore proprio immisceat. Nunquámne potero dicere, quòd non jam ego vivam in meipso, sed in Christo JESU? in ejus Divino beneplacito ultra omnem naturam & sensualitatem sublimato? Sufficit, ah! nimium quantum sufficit, misera anima mea! tamdiu in deliciis, & juxta inclinationem naturalem vixisse. Induamus tandem Dominum nostrum JESUM Christum, cogitemus, loquamur, laboremus cum ipso, & in ejus Divino conspectu. Non trahamus spiritum, nisi ad procurandam gloriam ipsius Cœlestis Patris. Pulchra

quidem hæc ſunt verba, ſed quando redigentur in opus? ſuccurre, ô amabiliſſime JESU! abſtrahe me à meipſo, quantumcunque renitar.

Punctum III. Errorem tibi hîc eximam, chariſſima anima! Vidiſti, admirata, & venerata es Verbum Incarnatum. Verùm advertiſtíne, quæ commoda in humanitatem ab arctiſſimè conjuncta Divinitate redundent? absque dubio Divina hæc Humanitas obtinuerit poſſeſſionem omnium bonorum. Vide, quænam illa fuerint. Obtinuit tantam abjectionem, & extremam humiliationem, quanta antehac in terris nulla apparuit. Et in hac conſiſtit omnis illa prærogativa, quam homo ex Hypoſtatica cum Deo unione eſt adeptus. Quàm incomprehenſibile eſt hoc myſterium! non aliud nempe quæſivit JESU mei humanitas, quàm bonum Dei. Volebat ſcilicet reparare ejus honorem, per noſtram vanitatem læſum; quod fieri non potuit alio modo, quàm per humiliationes, per quas & in vita, & in morte ſe annihilavit.

Affectus.

Affectus. Sectentur omnes homines mundi honores ut centrum felicitatis suæ; ego tamen dicam: Omnis homo mendax. Hanc veritatem docuit me JESUS meus. Verùm, quia noluit me redimere, nisi relinquendo amplissimos honores, magna inordinatio esset, si crederem, me diversâ prorsus viâ salvari posse. Quòd si etiam hoc possem, mi amabilissime Servator! nollem tamen: nimius enim iste est honor, quo dignus habeor, gestare insignia JESU humiliati. Deinceps itaque pro summis benefactoribus reverebor illos, qui mihi procurabunt abjectionis materiam, occasionémque præstabunt imitandi JESUM annihilatum.

DEUS, & EGO.

DIES SEPTIMA.

MEDITATIO I.

JESUS *Pauper & Ego Pauper.*

Punctum I. Postquam Verbum Divinum humanam carnem assumpsit, novémque mensibus in utero materno hæsit, voluit tandem in mundo apparere; sed quo incinctus comitatu? Nascitur instar exulis extra domum maternam, nec locum reperit, ad quem confugiat, nisi inter animalia, expositus injuriis elementorum, etiam igne, fomento ad pellenda rigidissimæ hyemis frigora tam necessario, destitutus, nullóque calore fotus, quàm qui ex animalium halitu procedebat. An abjectissimus etiam mortalium in tanta paupertate unquam est natus?

Affectus. Divine puíio! túne æterni Patris Filius? qui in tam fœtenti stabulo reclinaris? túne ille rex gloriæ, & universi

versi Dominus, omni tamen bono, omnibus necessariis destitutus? Summa adoratione in sinu Patris dignus es, mi JEsu! ubi infinitos, & immensos thesauros possides; verùm in sinu Matris paupertate circumdatus summo amore dignissimus es. Ecce Cœlestes Genii, ecce objectum admirationis vestræ; ipsum cœlum nîl possidet, quod oculos vestros tam potenter rapiat. O quàm justam causam habuistis denuntiandi hominibus infantem pauperculis pannis involutum! O amantissima paupertas Servatoris mei! adoro te, veniámque rogo, quòd te, non prout tenebar, fuerim imitatus. Deinceps id ex intimo cordis affectu præstabo.

Punctum II. Arbitrabor, quidnam agant Virgo Mater, & Joseph Nutritius, videntes extremam paupertatem, in qua spectabant Filium Dei. Toti erant præ stupore extra se rapti: sed quanta tranquillitate æterni Patris decretis acquiescebant? licèt durissima imperaret. Quàm mites non fuerunt? Dum iræ, & impatientiæ motus contra illos suppresserun-

qui ne quidem in minimo & extremo angulo ſuarum ædium eos voluerunt recipere. Quantâ non lætitiâ perfundebantur? Dum videbant ſe omnium incommodorum, & extraordinariæ hujus paupertatis, in qua ad exemplum Divini Infantis ſtatuebant vivere, & mori, participes eſſe effectos.

Affectus. O pulchrum & imitatione digniſſimum exemplum! vivat paupertas! hæc rapit cor meum, quod cum gaudio, & grati animi ſignificatione experietur provenientes à Divina Providentia nonnullos hujus virtutis effectus. Ita eſt: vivat paupertas! JESUS eſt pauper, pauper Maria, pauper Joſephus. Quantus honor, cum ipſis eſſe pauperem! O mi JESU! etſi regnum cœlorum pauperibus non addixiſſes, nimium refero lucrum ex ea gratia, quâ tecum mihi licet eſſe pauperi. Concluſum itaque eſt, me nolle unquam quidquam poſſidere tanquam proprium, aut cui cor meum ſit affixum; tandem ſtatuo vivere, & mori corde & Spiritu omnium totius orbis pauperrimus.

Pun-

Punctum III. Perpendam seriò, quomodo verificata fuerit sententia Prophetæ, prolata Servatoris mei nomine: Pauper sum, & in laboribus à juventute mea: nam reipsa fuit à nativitate sua in exercitio laborioso paupertatis, hujus amaritudinem & incommoda totâ suâ vitâ expertus est, dum non vixit nisi in eleemosynis, nil tanquam proprium possedit, non de re ulla quidquam disposuit, sed & in extrema nuditate in cruce exspiravit.

Affectus. Hoc utique est esse verè pauperem. Ah! paupertas mea hoc nomen non meretur, cùm nihil, aut valde parùm mihi desit. Quàm parùm te, O charissima paupertas! quàm parùm te in praxi amavi, dum, ubi quidpiam defuit, ægrè tuli, & murmuravi. Pœnitet me extremè, itáque modò sum constitutus, ut alia prorsus methodo vitam instituere constituerim, sustinendo scilicet cum gaudio effectus hujus sanctæ virtutis, nec ullo affectu ulli rei, quæ ad meum usum concedetur, adhærendo. Hinc amandabo, quidquid vel à longè divitias hujus

mundi

mundi redolebit. Insuper desidero haberi ut pauper, nec victum, nec vestitum accepturus, nisi sub titulo Eleemosynæ. Hinc & vestes detritissimæ, & bucellæ vilissimæ mihi erunt in deliciis, quia magis conducent paupertati promissæ.

MEDITATIO II.

JESUS Circumcisus, & Ego Mortificatus.

Punctum 1. Debebatur Servatori corpus gloriosum, & impassibile spectando tam dignitatem personæ, quàm beatitudinem animæ, quæ Deum intuebatur. Nihilominus voluit corpus assumere passibile, ut in eo pro nostris sensualitatibus satisfacere posset. Multa hîc occurrunt, quæ meam sensualitatem, amorémque meum proprium confundunt. Desiderarem omnino esse impassibilis, saltem impendo omnes vires meas, ne quidquam pati cogar, cùm vicissim Servator meus, ut pati posset, mira operetur.

Affectus.

Affectus. Quàm parum ſancti luminis ineſt meo vivendi modo? quàm multùm cæcutio? Dum non quæro, niſi placentia, & ſenſibus blandientia. Quid non molior, ut procul removeam? quidquid vel umbram gravaminis præſefert. Eheu! ſi poſſem, cuperem eſſe exemptus à communibus miſeriis, ita enimvero horreo famem, rigorem frigoris, & cujusque morbi vel minimum aſſultum. Heu! quantùm diſto ab imitatoribus illis heroicis patientiæ Servatoris mei? qui communibus miſeriis adjungunt continuos mortificationis actus, quibus ſe perſequuntur. Mi JESU! quia vivere non incepiſti, niſi ut inciperes pati, ſuſtulci me forti tua gratia! Absque hac eheu! pergam vivere, qui ſui hactenus inimicus crucis tuæ, tuæque tolerantiæ.

Punctum. II. Aſpicio non ſine compaſſionis affectu ſub crudeli circumciſionis cultro amantiſſimum JESUM, illíque ſub adorando ſanguine de vulnere promanante adgemiſco. Siccíne Servator

mi,

mi, tu ipſe tanta pateris? cur jam in aurora vitæ tuæ tam es avidus profundendi ſanguinis? nunquid non perſona tua adoranda à tam crudeli ſanguinis profuſione te debebat eximere? quid autem, obſecro, commiſit innocentia tua, quòd ſanguineo hoc profluvio elueretur? Super omnia autem me in admirationem rapit amor ille immenſus, quo me hoc ſanguine pretioſo donas; nam ex illo ipſo momento paratus es illum ad ultimam uſque guttam profundere.

Affectus. Ah! parce Sanguini dulciſſime mi JESU! cunctis animabus redimendis plus nimio ſufficit unica guttula. Sed quàm tibi ſum obſtrictus ob hoc exemplum mortificationis, quod mihi dare accelerâſti! O ſi à primo inſtanti, quo cœpi rationis uſu frui, ad hunc uſque diem incepiſſem me ipſum circumcidere, & mortificare peſſimas naturæ inclinationes! Vanitas, amor propriæ excellentiæ actum erit de vobis! En Deus infans, ipsáque innocentia ſumit characterem peccatoris,

&

& vos criminibus repletæ pro ſanctis coli deſideratis. Vivat JESUS Circumciſus! non ampliùs circumciſa hac vita vivam, modò me JEſus meus velit dignari meritô & auxiliô minimæ guttæ pretioſi ſui ſanguinis.

Punctum III. Poſt graviſſimos circumciſionis dolores impoſitum fuit amantiſſimo Servatori dulciſſimum JESU nomen. Adorabo illud profundiſſima humilitate, poſtea enucleatè conſiderabo, cùm nomen, & officium Salvatoris non potuerit adimpleri, niſi patiendo, & fundendo ſanguinem, neque voluerit nobis JESUS promereri æternam ſalutem, niſi per tolerantias, & dolores, ſummam utique committerem ſtultitiam, ſi vellem applicari merita patientis Chriſti mihi otioſo, & abhorrenti à rigore & mortificatione. Sicut JESUS per circumciſionem Salvator evaſit, ſic anima per mortificationem ſalva evadet. Aut hac eundum, aut pereundum.

Affectus. O mi Deus! ſi res ita ſe habet,

bet, quàm pauci salvi fient, cùm tam pauci mortificationi studeant? Et certè fatendum est, summam esse stupiditatem, tantâ industriâ, & labore fugere mortificationis occasiones, ex quibus tamen salus nostra dependet. O cultrum sacratissimum Circumcisionis! à quo sensualitati deditæ mentes abhorrent, potesne efficere, ut in meum usum cedas? Cùm cupiam salvus fieri, necesse est tuam adhibere operam, sed opus est, ut in praxi te utar. Mi Deus! exhibe mihi hanc gratiam; adjuro te per pretiosissimum sanguinem Circumcisi Filii tui dilectissimi. Virgo sanctissima, cujus animam illo ipso momento doloris culter pertransivit, quo Filius tuus cultro circisionis vulneratus est, impetra mihi hunc favorem, hanc gratiam.

ME-

MEDITATIO III.

JESUS offerens se Patri æterno, & Ego cum ipso me offerens.

Punctum I. Consolatione plenum est spectare, quomodo Puer JESUS ad templum deferatur, ubi usu rationis opitulante (quo à primo conceptionis instanti perfectissimè utebatur) quàmprimùm se Patri suo cœlesti obtulit, simúlque animam, corpus, vitam, mortem obeundam sub tormentis, quæ jam tum oculis obversabantur. Hanc oblationem unicè fecit ad gloriam sui Patris promovendam, meámque salutem, quam in particulari mente volvebat, procurandam.

Affectus. Quanta bonitas! ob hanc tibi immensas refero gratias, Divine mi JESU! rogóque Angelos, ut te ob hanc æternùm laudent. O quàm obstrictum me agnosco, ut vicissim me offeram ad agendum, & patiendum, quidquid tibi placuerit, licèt ipsa vita superimpendenda esset. Ah! quàm accepta fuerit hæc

oblatio æterno Patri ! qui præterita ſacrificia, & oblationes non aſpexerat, *niſi* ut umbras & figuras hujus ſacrificii. Quantam concipio confidentiam ex eo, quòd amantiſſimus Servator magnam partem hujus oblationis pro me impenderit, & ob gratiam, quam mihi promeritus eſt, ut *in* unione hujus oblationis opera mea bona cœleſti Patri dignè offerre poſſim.

Punctum II. Expendam hîc adjuncta, quæ hoc ſacrificium JESU mei infinitè acceptum, & meritorium reddiderunt. I. Offert ſe infinita cum reverentia, fundata in dignitate infinitæ Divinitatis, cujus tanquam homo ſe agnoſcebat creaturam. II. Offert ſe cum amore incomparabili, & cum immenſo deſiderio immolandi ſe gloriæ & ſervitio ſui Patris. III. Confirmat hanc ſui oblationem conceptô votô. IV. Offert ſe cum omni illa intenſione, quam dictabat virtus religionis, omníque affectu, qui requirebatur ad agendas gratias pro me, & omnibus hominibus æterno Patri, ut ſatisfaceret juſtitiæ pro meis peccatis,

tis, & impetraret omnes gratias ad meam ſanctificationem neceſſarias.

Affectus. Utinam meas oblationes comitarentur omnes hæ ſanctæ conditiones! ſed heu! omnibus his deſtituuntur. Verùm impoſterum imitabor hanc JESU mei reverentiam, hunc amorem, hanc conſtantiam, omniáque ipſius ſanctiſſima motiva, quotiescunque Deo aliquid offeram, ſive in orationibus, ſive in ſacra Communione. Ut autem vel nunc incipiam, ego ex infima nihili mei abyſſo, & profundiſſimo reſpectu, deſiderióque ardentiſſimo placendi Deo impulſus, offero tibi de novo, mi Deus! omnia mea bona opera. Et ut hæc acceptes in holocauſtum & odorem ſuavitatis, unio oblationem hanc meam oblationi adorandi Filii tui JEſu.

Punctum III. Conſiderabo fidelitatem Servatoris mei, qui totâ vitâ ſuâ facta æterno Patri promiſſa nec in minimo unquam violavit, dum omnia verba, omnes cogitationes, omnes actiones ſuas ad ſolam ipſius gloriam retulit; nunquam quæſivit ſuo beneplacito ſatisfacere, nunquam

ſtuduit

ſtuduit propriis commodis; gloria ipſius, beneplacitum, & deliciæ erant, ut *ipſe* fatetur, facere voluntatem Patris ſui. Summa ipſius cura erat, laudes ſibi tributas ad Patrem referre, ut ne minimam ſibi attribueret; teſtis erit ille, qui ob id, quòd eum Bonum vocâſſet (Magiſter Bone) reprehenſus eſt his verbis: Nemo bonus, niſi ſolus Deus.

Affectus. O quàm admiratione dignum eſt, nunquam ſibi ſatisfeciſſe! quàm admiratione, & imitatione noſtra dignum eſt hoc exemplum! Quanta autem hinc in me redundat confuſio? qui meipſum in omnibus quæro, *in omnibus*, quæ mihi contingunt, quamprimum indago aut commodum proprium, aut delectationem. Scio, quòd tanquam creatura, cùm omnia habeam à Creatore, tenear omnia ad ipſum referre, nihilque conveniat agere niſi in conſpectu Dei, & propter Deum, qui eſt finis univerſalis omnis creaturæ: & nihilominus per ſummam infidelitatem non curo niſi proprium meum commodum. Fruſtra in baptiſmo ad hoc me obligavi,

ligavi, fruſtra millies ac millies hanc obligationem meam renovavi, ſemper hucusque manſi idem mei ſtudioſus. Poteróne autem tandem facere ſtabile propoſitum, illúdque ſervare? Heu mi JESU! niſi tu mihi miſericordiſſimam tuam porrigas dexteram, pergam inhærendo propriis meis commodis uſque & uſque eſſe infidelis.

DEUS, & EGO.

DIES OCTAVA.

MEDITATIO I.

Deus Obediens, & Ego Obediens.

PUnctum I. Repræſentabo mihi. I. Illum, qui obedit, & eſt perſona infinitè ſancta ipſe Homo Deus. II. Quibus obedientia præſtetur; hi ſunt Beatiſſima Virgo, & ſanctus Joſephus. III. In quibus obediatur; ſunt res valde difficiles, abjectæ, & humiles, dum JEſus omnia præſtat, quæ [illegible] mechanicorum, & paupe-
rum par[illegible] aſſueverunt facere. Præ-

terea ſpectabo etiam obedientiam, quam Servator meus exhibuit omnibus cœleſtis ſui Patris ordinationibus, quæ æquè erant laborioſæ, ac humilitate plenæ, neque unquam, ac ne ſemel quidem propriam voluntatem adimplevit.

Affectus. O quàm hic modus agendi JESU mei Divinus eſt! voluntas ejus erat ex integro ſancta, neque illi tamen unquam acquievit, ut ſemper eſſet obediens. Quanta hinc mihi confuſionis materia! qui voluntati meæ, licet ex integro ad malum, & licentiam propenſæ, toties pertinaciter adhæreo. Quid, ô Servator mi! an non exemplum tuum prorſus admirabile ſalutarem quandam animæ meæ vim inferet? Nunquámne à Divino meo Magiſtro addiſcam obedire, præcipuè in rebus laborioſis, & quæ ad humiliandum me ſerviunt? Eja anima mea! hodie agrediamur non vivere deinceps, niſi ut obediamus. Fiat.

Punctum II. Videbo, quomodo hæc obedientia Puerum JESUM fecerit creſcere

ſcere gratiâ & ſapientiâ coram Deo, & hominibus juxta verba Evangeliſtæ. Crevit ſcilicet, dum actiones, quas in ſingulos dies faciebat, ſemper apparebant gratiâ, & ſapientiâ uberiores, advertebantur in illis magis heroici virtutum actus humilitatis, zeli, charitatis erga Deum, & homines, hócque ideo fiebat, ut agnoſcerem, obedientem eſſe eſſe poſſidere cœleſtem ſapientiam; obedientiam præterea promptam, exactam, & jucundam ſignum eſſe, nos eſſe in gratia, in eáque magnos facere progreſſus.

Affectus. Mirabilis obedienriæ effectus! ô quàm parùm mundo eſtis cogniti! ſi vos homines, prout decet, agnoſcerent, agglutinarent ſe inſeparabiliter huic virtuti. Ah! quas divitias gratiarum & perfectionum poſſiderem, ſi hoc lumen fuiſſem ſecutus? Quàm ſublimis eſſem in oculis Dei, qui non niſi obedientes magnis ſuis replet benedictionibus. Non erubeſcerem ſub tanta virtutum penuria; jam pridem ſubjugâſſem paſſiones meas,

& in eo ſtatu conſiſterem, quô proximo meo poſſem eſſe ædificarioni, cui hucusque meâ inobedientiâ fui ſcandalo. Quid autem remedii? Deinceps ero fidelis obedientiæ cuſtos, cujus ex nunc renovo promiſſum Deo factum cum omni illo fervore & devotione, quô unquam arſerunt veri Chriſtiani.

Punctum III. Admirabor in hac obedientiſſima, & privata vita JESU mei triginta annis tranſacta, quàm longè diſtent cogitationes Dei à cogitationibus hominum, qui non quærunt, niſi ubi ſplendere, & independenter ac liberè vivere poſſint. Hinc ſtultitiæ arguam ſapientiam mundi: nam oportet aut Deum, aut mundum falli. Cùm itaque ſapientia Divina (cujus theſauri omnes JESU Humanitati inſunt) veram gloriam in ſubjectione conſtituat, neceſſariò fatendum erit, quòd ſapientia ſæculi, quæ in ſe nulli vult permittere imperium, in graviſſimo verſetur errore.

Affectus. O mundi ſpiritus! qui non niſi

nisi ad libertatem adspiras, detestor te: tu enim excussisti jugum dicendo: non serviam. Ad me quod attinet, honori mihi duco, si adstrictus submissioni & obedientiæ vivam & moriar. Agnosco me majore honore futurum dignum, si unico die sub directione sanctæ obedientiæ vixero, quàm si in throno sublimis, omníque alterius in me imperio excusso, centum annis vixissem. JESUS meus ad mortem usque obedientissimus mihi persuadet, ut vitam in obedientia consumam, quam proinde conservatam nolo, nisi ut diutius possim obedire. Heu! quàm contra meipsum excandesco, quòd toties dispensaverim in obedientia, sanctissimis legibus debita, totiésque voluntati superiorum meorum contraiverim. Hoc in æternum non continget amplius. Amen.

MEDITATIO II.

JESUS mitissimus, & Ego sine felle.

Punctum I. Propheta Isaias pulchram ideam Mansuetudinis Salvatoris mei mihi proponit, dum dicit: quòd non velit extinguere lampadem fumigantem, neque conculcare semifractam arundinem. Nunquam mitissimus JESUS vel torvo oculo aspexit etiam crudelissimos suos carnifices; nunquam ex quodam cordis rancore ultus est suos inimicos. Hæc virtus adeò excellenti in gradu eluceſcebat ex JESU, ut, quoties S. Paulus optabat à Christianis quidpiam obtinere, illos adjuraret per Mansuetudinem Christi JEsu.

Affectus. Ita est amantissime Servator! omnes virtutes tuæ sunt infinitè amabiles, omnes æqualiter mirandæ, tua nihilominus mansuetudo cor meum sibi vendicat. Utinam aufferret à me omnem bilem, omnémque iram æternúm exarmaret, quæ interiora mea suo ardore accendit, sæpiúsque etiam exteriùs in flammas pro-

rum-

rumpit, ſi quis mihi adverſetur. Heu! quot indignationibus, quot deſideriis vindictæ, quot amaris, & mordacibus verbis læſi manſuetudinem Servatoris mei! Seinpérne in me, quoties adverſi mihi quid continget, effrenis dominabitur ira? Per tuam manſuetudinem, mitiſſime JEſu! inhibe hos meos furores. Da, ſi tibi placet, ut hanc amabiliſſimam virtutem ſemper ante oculos habeam, ínque occurrenribus occaſionibus fratres mei ejus effectus experiantur.

Punctum II. Summo guſtu recogitabo, quomodo dulcis JESUS benefecerit omnibus, nullíque unquam vel minimam moleſtiam intulerit. Recordabor, quòd ne quidem mulierem in adulterio deprehenſam voluerit confundere, quæ jamjam ad ſupplicium ducebatur. Oſculatus eſt ludam, quem ſciebat traditorem, & tali quidem oſculo, quod erat & amore & deſiderio ipſius ſalutis pleniſſimum. Oravit pro crucifigentibus ſe, volebátque æterno Patri excuſare crudelitatem perſecutorum ſub pallio ignorantiæ.

Affectus. Exulate ex corde meo cogitationes aversionis, & rancoris erga eos, qui me quocunque modo læserunt, vósque verba cruda, & impatientiâ plena non ampliùs ex ore meo egredimini. Ipse vultus meus deinceps ex amœnitate, & dulcedine pulchræ hujus virtutis radiabit. Vos passiones malè mortificatæ causa estis meæ impatientiæ, & peccatorum contra mansuetudinem. Justum est, ut ob hoc subjiciam vos justæ pœnæ. Plurimi facio illos, in quibus mansuetudo elucet; & cur non mihi hanc virtutem procurabo? Verùm ut hanc erga proximum meum usurpem, movere me vel maximè debet ipsa mansuetudo & dulcedo Dei mei.

Punctum III. Totus in admirationem rapior, cùm video, quanto desiderio cupiat Servator meus, ut imiter, quæ mihi dicit: Discite à me, quia mitis sum. Revera in excellentissimo gradu fuit mitis. Quanta fuit mansuetudo, quâ libenter egit cum parvulis, eorúmque ineptias, & pueriles defectus toleravit? quanta fuit dulcedo? quæ nunquam crassis moribus ad

ipsum

ipſum accedentium, nec Apoſtolorum parùm civili agendi modo fuit offenſa, & præſertim Petri, quando auſus eſt interrogare, quid præmii accepturi eſſent, eò quòd omnia reliquerint, licèt illa omnia non fuerint, quàm miſera navis, & ſemiputrida retia: huic ſat craſſo proponendi modo manſuetiſſimè reſpoſuit mitiſſimus JESUS; centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Et quod majore admiratione dignum eſt, hac ipſa manſuetudine utebatur erga illos, qui volebant illum capere in ſermone.

Affectus. Ex animo cupio eſſe diſcipulus manſuetiſſimi JESU. Non ampliùs proinde res illas, quæ apparebunt indignatione & irâ meâ dignæ, torvo, aut indignante oculo aſpiciam; amplectar deinceps dulcedinem, ſerenabo vultum, ero affabilis, libenter proximum, ejúsque defectus ſuſtinebo; atque hæc omnia præſtabo, ut manſuetudinem mihi familiarem reddam. De cætero, ſi aut indignari, aut iraſci cupio, in meipſum hos affectus exonerabo, ut qui meipſum hucusque ni-

mia lenitate ſuum proſecutus. Eja itaque, exardeſcet contra me rigor, & indignatio; in proximum verò omnem manſuetudinem exeram. Ita fiat!

MEDITATIO III.

JESUS Patiens, & Ego Compatiens.

PUnctum I. Poſt actum fidei in me excitatum, qui mihi proponet Servatorem meum venditum, traditum, negatum, relictum à Diſcipulis, inſtar ſcelerati ligatum, blasphemiæ accuſatum, illuſum, exagitatum à militibus, præcipuè attendam. I. Ad perſonam patientem, quæ eſt Homo-Deus. II. Ad eum, qui eſt cauſa diræ hujus paſſionis, qui eſt Homo peccator. III. Ad cauſam, quæ ad tam crudele ſupplicium innocenti inferendum juſtitiam Divinam coëgit, eſt ipſum peccatum. Hæc cogitatio in tantam admirationem me conjicit, ut me inde vix poſſim extricare, ut compaſſionis affectu vacuum relinquam locum.

Affectus.

Affectus. Ubi es misericordis mei compassio? nisi te hîc totam effundas, omni caute duriorem te dicam. Et vos Angeli pacis, qui juxta Prophetæ assertum amarè flebatis spectantes crudelem carnificinam in Dominum vestrum exoneratam, cur non ultra lachrymas progressi estis? Quid? an non extremô suppliciô vindicatis intolerandum assultum in vestrum Regem commissum? Potuistísne sustinere Judam osculô ipsum tradentem? videre JESUM instar abominandi latronis raptatum? per plateas civitatis hinc inde non sine sannis instar scelerati pessimè habitum? vidistis hæc, & tacuistis? Quare non arripuistis justi furoris arma? dum spectâstis faciem longè amabilissimam inflictâ crudelî alapâ in tumorem excrescere? dum vidistis Sanctum sanctorum in domo Pontificis militum insolentissimæ petulantiæ expositum?

Punctum II. Nondum omnino illuxerat, cùm summi Sacerdotes jam de inferenda JESU nece concordes, illum ad Pilatum deducun, ubi ipsum accusârunt ambitionis

bitionis, conjurationis in Cæsarem, aliorúmque criminum, quæ cruce digna proclamabant. His mendaciſſimis criminationibus imperitus laceratur ſex millibus ſexcentis ſexaginta ſex virgarum, & flagellorum ictibus: quanta barbaries! ſacratiſſimum ipſius caput ſeptuaginta duobus vulneribus coronâ ſpineâ perforatur: quanta crudelitas! poſt traditam in manum arundinem ſceptri loco cum irriſionibus adoratur: quanta impietas!

Affectus. O condolentia! reduplica hîc affectus tuos, dum vides Salvatorem tuum vulneribus & ſanguine coopertum. Et quia peccata mea tam inhumanum in ipſum carnificinam attraxerunt, ubi hærent mei dolores? ubi mea contritio? Poſsúmne ſuſtinere, quòd conqueratur JESUS meus ob derelictionem ab omnibus amicis, & quòd etiam in me fruſtra quærat conſolatorem, & compatientem doloribus ejus? Quæſivi, qui me conſolaretur, & non inveni. Mirabile omnino eſt, amantiſſime Redemptor! quòd cùm ſenſualitas ex te faciat Virum Dolorum,

rùm, nullo tamen compaſſionis affectu tangar. Meæ vanitates ſunt cauſæ tuarum irriſionum, & heu! dolore non diſrumpor? Quousque durius, quàm ære fuſum erga te cor geram? nunquámne deflebo cruciatus, quorum tibi ſum cauſa?

Punctum III. Spectabo venerandam illam ſpeciem, quá Servatorem meum in ferali theatro Pilatus ſpectandum exhibuit, dum dixit: Ecce Homo. Poſsúmne autem illum absque animi deliquio adeò miſerè dilaceratum intueri? cùm certò ſciam, ipſum hac veſte, confuſione plena, circumdediſſe peccata mea? quæ ipſius funeſtum hoc diadema capiti impreſſerunt? quæ ipſum à vertice ad plantam uſque pedis vulneribus oppleverunt? ſed heu! nec iſta adhuc ſufficiunt, hac immani laniena nondum exſaturati ejus inimici barbarè inclamant: Crucifige! crucifige! Absque dubio Pilatus humano reſpectui cedet, & innocentem JESUM in Cæſaris favorem, cujus auctoritatem læſam malitiosè Judæi prætendunt, immani addicet cruci.

Affectus. O cœli! Ecce hominem, qui meretur omnem adorationem Angelorum, hominúmque, instar vilissimi, & totius orbis sceleratissimi homuncionis habitum. Æterne Pater! ecce hominem, quem voce de cœlo emissa testatus es esse Filium tuum, in quo tibi complaceres. Heu! ad quàm miseram condi-

tionem *illum* redegerunt peccata mea? Prô! posúmne sperare, ut me, ô mi Deus! aspicias sine indignatione? me, qui sum unica causa passionum & ignominiarum dilecti Filii tui JESU? Sed heu! longè acerbior mihi reo causa timoris præbetur, cùm considero, justitiam Divinam tam acerbam vindictam sumere de innocente, qui pro me vadem se præstitit. De cætero, ô anima mea! ecce hominem, qui te tanto excessu amoris diligit, ut omnem pro te honorem, & sanguinem profundat, usque dum etiam tui causâ in tormentis adhuc crudeliori-

bus totam vitam expendat. Nunquid deceret hîc mutuas exposcere Seraphinorum flammas, totiúsque ignis officinas,

ut

ut amore liquefierem? audebîsne deinceps, Anima mea! vel ad momentum amorem tuum â patiente pro te JESU avertere? certè optare deberes in infinitum multiplicari, ut reciprocum amorem reddere posses.

DEUS, & EGO
DIES NONA.
MEDITATIO I.
JESUS in Cruce, & Ego Cruci affixus.

Punctum I. O quale spectaculum! videre Deum cruci affixum, in eáque ex amore hominum morientem. Ad hanc certè funestam tragædiam dissiliunt petræ, Sol obscuratur, terra contremiscit, tota natura luget, & mutat statutum ordinem. Quis autem sine indignatione audire potest, nihil sine compassionis sensu esse, nisi solum hominem, ob cujus tamen solum,

&

& unicum bonum ipſe Deus tam crudelem ſubit mortem Verùm longè plùs adhuc indignari oportet, ſi animadvertam, quòd ego non tantùm non compatiar, non condoleam, non redamem, non gratum me ſiſtam tanto benefactori, ſed eheu! illum offendam, inimicus ſim ejus crucis, ſpectando Deum meum ſiccis oculis ex feràli ligno pendulum, & æquè ac antehac vanitati & ſenſualitati inhærendo.

Affectus. O bonitatis exceſſum Dei mei in cruce exſpirantis! ô ingratitudinis abyſſum peccatricis animæ crucem fugientis! ô cor meum! cur uſque eò omni ſenſu deſtitueris, ut non præ compaſſionis affectu, præ contritione, præ amore in aſpectu Chriſti crucifixi diſrumparis? Fortaſſis hic Deus confictus tantùm eſt Deus? fortaſſis hæc Chriſti patientis tormenta fabuloſum tantùm ſunt Poëtarum figmentum, quòd in tanta cordis duritie, in tanta ſiccitate perſiſtas? Quomodo potuiſti mille modis offendere amicum tam fidelem, qui pro te moriendo ſeipſum in ſacrificium offert? erúntne ſufficientes infernales rogi

ad

ad puniendam tam abominandam ingratitudinem? erísne adeò temeraria, Anima mea! ut vel minimo deinceps veniali peccato ipsum audeas offendere?

Punctum II. Ecce Deum tuum jamjam in cruce exspirantem. Verùm accuratè nota, quòd moriatur in sinu amoris, quo illos amplectitur, qui ipsum cruci affigunt; pro his enim veniam rogat, conatúrque ipsis cœlestem placare Patrem. Morienti huic corditè insinua, illúdque subintra mentis tuæ cogitatione, videbísque, quòd tui in particulari sit memor, quódque speciali quadam applicatione Patri suo pretiosas aliquot Divini sui sanguinis guttas offerat, ut tibi gratiam obtineat, quâ ad Deum te convertas, tibíque impetret voluntatem, quâ te cruci affigere cupias; quo facto Patri commendans Spiritum suum exspirat.

Affectus. Permitte mihi hîc, æterne Pater! ut tibi meam admirationem explicem: non enim penetro, cur non potiùs totum humanum genus permiseris perire, quàm permiseris Unigenitum tuum tam

dira

dira pati. Quod meam admirationem auget, eſt, quòd longè juſtiùs omnes homines æternæ damnationi fuiſſent ſubjecti, quàm ut Filius tuus vel minimo vulnere lædereretur. Súntne ergo tibi, æterne Pater! majore in pretio auimæ, quàm vita Servatoris mei, qui eſt amoris tui objectum? Stupenda prorſus res! JESUS ſuſpenditur in cruce, quaſi in una bilancis ſcutella, & in altera ſcutella animæ appenduntur, & hæ illi præponderant. O mi Deus! hoc in opere non vocâſti ad conſilium niſi amorem tuum, qui meum ex integro ſibi vendicat: nam quando video, quòd in medio extremi cruciatûs in particulari mei recorderis, non ampliùs meus ſum, & optarem mille poſſidere corda, quibus poſſem teſtari gratitudinem meam.

Punctum III. Ergo in cruce mortuus eſt Redemptor meus, & quidem amore mei, & mortuus eſt, ut mihi mereretur gratiam crucifigendi amorem meum proprium, ítque in me morti traderet ſpiritum ſenſualitatis, qui hucusque cordi meo tyranni in modum dominabatur? Inhæ-

reamus

reamus tantiſper huic conſiderationi, æſtimemúsque felicitatem eorum, qui huic gratiæ crucifigendi obedientes, moriuntur blandimentis ſenſualitatis, vanis honoribus, & delectamentis creaturarum, atque hæc omnia non aliter reſpiciunt, quàm rejiciendo, & contemnendo, neque majore affectu in illa moventur, quàm ipſi mortui, qui prorſus nullâ illorum curâ, aut amore tanguntur.

Affectus. Extremè erubeſcam, dum videbo me adeò remotum ab inclinatione ad hunc Divinum ſpiritum crucifixum, & à mortis amore, cui omnes deliciæ creatæ infinitè diſplicent. Committam me eidem ſpiritui, ut mecum pro lubitu ſemper ſeu per parvas, ſeu per grandes cruces diſponat. Eliciam actus fidelis obedientiæ erga omnes ejus inſpirationes, quantumcunque mihi adverſæ aut duræ eſſe poſſint. Scio, quòd animæ ſanctæ, cùm ſint prædeſtinatæ, ut ſint conformes unico Dei Filio, ſint ſimul præordinatæ ad crucem; hincque certò amitterem prædeſtinationis ſpem, ſi à cruce refugerem. Ero itaque

que fidelis imitator Crucifixi, & Calvariæ filius. Si Dei filius pro me mortuus est, ego me pro ipso mortificabo. Tua, ô mi Redemptor! gratia efficiet, ut cum veritate dicam: JESUS Crucifixus, & ego in cruce; JESUS mortuus, & Ego mortificatus.

MEDITATIO II.

JESUS resuscitatus, & ascendens in Cœlum, & Ego revivíscens, & terram relinquens.

Punctum I. Contemplabor Redemptorem meum in triumpho resurrectionis suæ, pulchrásque dotes, quibus est ornatus. I. Claritatem, quâ totum ipsius sacratissimum corpus resplendet. II. Impassibilitatem, quâ fruitur. III. Subtilitatem, quâ mediante monumentum egreditur absque sigilli aut sepulchri læsione. IV. Agilitatem, quâ momentô temporis se ab uno in alium locum transfert. Inde meditabor, quo splendore se induerint Angeli, quámque festivum diem

resur-

resurgenti Domino egerint, qui tempore patientis funebri amictu Domini mortem amarè flebant. A gaudio Angelorum transsibo ad lætitiam, quâ perfundebatur sanctissima Mater, dum ad eam invisit gloriâ circumdatus Filius. Imaginabor mihi audire verba, quæ hoc in admirabili colloquio utrinque sunt prolata. Pariter delectabor repræsentando mihi extasin sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Sociarum, nec non Apostolorum, dum seipsum JEsus dignatus est illis spectabilem præbere, méque horum affectibus conformabo.

Affectus. Summè adorande JEsu! quàm justè tantâ gloriâ & splendore circumdaris! quantum solatium, quantum gaudium recipio ex eo! quòd te videam de morte triumphantem, & inferni spolia gestantem. Quanta festivitas cordi meo! dum te video ut Deum salutari, Divinósque tibi honores exhiberi. O Justitia Dei mei! vix inducere poteram in animum meum, ut te amarem, dum considerabam miserandum statum, in quem redegisti Redemptorem meum tempore

passio-

passionis; nunc verò ex animo tibi gratulor, dum inexplicabilem ejus gloriam contemplor. Et tu Virgo glorioſiſſima! quî factum eſt, ut non præ immenſo gaudio ex corpore exturbata ſit anima tua? Dicámne cum uno ſervorum tuorum, quòd, quemadmodum naturæ vires ſuperavit, cùm die Paſſionis non ex triſtitia occubuiſti, ita ſimile miraculum contigerit, cùm ſibi anima tua conſtitit ipſa die Reſurrectionis Filii tui? Admitte, ô Virgo! ni me reſpuis, admitte, inquam, ut reſurgentem Filium tuum tecum adorem; Patri æterno gratias agam ob conceſſum hunc honorem, quo particeps fiam immenſi tui gaudii.

Punctum II. JEſus reſurgens invitat me, ut novam vitam auſpicer. Ipſe enim non ampliùs converſatur in terris, niſi ut obtemperet beneplacito Patris ſui, de cætero ſanctâ quadam impatientiâ cælum conſcendere deſiderat. Quâ in re copiosè me inſtruit, ut corde recedam à terrenis, & ad æterna ſuſpirem. Præterea licèt Redemptor meus ſubinde diſcipulis ſe viden-

dum

dum præbuerit, contingebat id tamen rarò; si comedebat cum ipsis, fiebat id cum nausea, ut doceret me, oportere versari in terra, sed absque affectu ad res usui meo necessarias, & cum nausea & aversione ab omni sensualitate.

Affectus. Potuíne tamdiu in loco exilii mei mihi complacere in affectu ad delicias terrenas? non oportebat illis uti, nisi cum indignatione, & ex pura necessitate. Concede mihi, resuscitate mi *JEsu*! concede mihi hanc abstinentiam & constantem contemptum rerum creatarum. Nisi tu succurras, nunquam obtinebo. O quàm inordinati fuerunt mei affectus! amemus, misera anima mea! amemus, sed meliore in loco. Cœlum, & Deus cœli sint deinceps objectum desideriorum, & divitiarum tuarum. Non versemur ampliùs in terris, nisi corpore, vivamus hîc, ut resuscitati, suspirantes ad supernum imperium, ubi est locus resuscitatorum, & ad instar illorum nihil prorsus terreni curemus.

Punctum III. Jam me constitutum cerno in monte Oliveti, unde Salvator meus

meus poſt reſurrectionem incipit cœlum conſcendere, imò jam conſcendit, Apoſtolíque, qui eum oculis inſequuntur, monentur à duobns Angelis Jeroſolymam regredi, ibíque exſpectare adventum Spiritûs Sancti. Hi obtemperant, súntque jam corpore Jeroſolymis; nam corde, affectu, & converſatione cum optimo ſuo Magiſtro in cœlo verſantur: & hoc ad meam utique inſtructionem; licèt enim adhuc corpore in terra verſer, oportet tamen corde procul ab omni objecto creato elongari. Procul itaque deinceps vanæ complacentiæ, procul inclinatio aut delectatio ad cibos, ad ſomnum, ad recreationes, ad confabulationes, ad converſationes cum creaturis; procul inordinatus ad parentes, & amicos affectus. Oportet exhinc aſpicere terrena cum contemptu, ut faciunt animæ cœlo receptæ, & cum ſancto Paulo debet nobis mundus eſſe horrori, abominationi, ut patibularius putridus, & objectum ſpurciſſimum. Mihi mundus crucifixus.

Affectus. Quàm gaudeo, mi JESU! quòd te ad dexteram Patris jam ſedentem adorem; ſed quia unô momentô corda diſcipulorum tuorum in cœlum rapuiſti, eripe quoque meum, illúdque tecum aſſume. Quàm turpe, quàm ignominioſum eſt delectatum fuiſſe guſtu terrenorum ſub prætextu, & colore, me iis ſine crimine, & ſola ex neceſſitate fuiſſe uſum. Vehementiſſimè doleo, quòd me privaverim felicisſima conditione illarum animarum, quæ ſpiritu reſuſcitatæ cœlum conſcenderunt. Tandem imitari oportet gratiæ obſequentes, fidelésque animas, quæ terram non niſi cogente natura tangunt. Oportet illarum inſtar ad commoditates & delectationes eſſe inſenſibilem. Succurre, Redemptor mi!

Pulchra quidem ſunt hæc propoſita,
ſed longè adhuc ab effectu
remota.

MEDITATIO III.

Deus mittens Spiritum ſanctum, & Ego Spiritu vivens.

Punctum I. Cùm videret Servator meus, quàm parùm profeciſſem pulcherrimis ejus exemplis, & doctrina, ſpectarétque me adhuc prorſus rebus terrenis agglutinatum, amorísque proprii non minùs, ac antè ſequacem, æquè addictum blandimentis ſenſuum, ultimum admovit bonitatis ſuæ arietem, mittendo mihi Spiritum ſuum Sanctum. Prô quantum donum! Tertiam Perſonam Auguſtiſſimæ Trinitatis, amorem Patris & Filii. Inveſtigandum autem diligenter eſt, quid per tam inexpectatam liberalitatem requirat à me JEſus; éſtque, ut Divinus ejus Spiritus ſit unicus vitæ meæ director. Non vivam ampliùs ex meo ſpiritu, in meipſo, & propter me, ſed animatus ſolo ipſius & unico Spiritu in ipſo, per ipſum, & ſicut ipſe, vivam in ejus abjectionibus, ejus doloribus, ejus ſeparatione ab omnibus, quæ ſuper terram ſunt.

Affectus.

Affectus. Quanta gratia! quanta bonitas! ſufficiétne tota æternitas ad dignè referendas gratias? Anima mea! éſne parata ad tantum hoſpitem pro meritis excipiendum? Delectatur converſari cum humilibus, cum manſuetis, cum devotis. Simus ex horum numero, & ſic in nobis quoque ſibi complacebit. Noli expaveſcere, quæ facienda ſunt, non ſunt adeò difficilia, remove tantùm miſerum proprii intellectûs ſpiritum. Hunc proinde elimino, non deinceps quidquam agam, quidquam loquar, quidquam timebo, aut ſperabo *juxta* meum Spiritum, & proprium ſenſum. Divine Spiritus! recipio cum debita reverentia & gaudio gratiam, quam mihi dignaris elargiri. Veni, veni absque mora. Tu imperabis in me, & ego tibi demiſſiſſimè obediam, ſequar tuos inſtinctus, tua præcepta adimplebo. Amen.

Punctum II. Ergo Spiritus Sanctus tantæ bonitatis eſt, ut ad me velit diverrere, quò animam meam à ſeipſa, & à carnalibus commodis ſeparet, illámque robo-

ret

ret zelo, & ſacro quodam odio contra eandem carnem, cui non permittit, ut unicam delectationem ſumat in rebus, ad quas inclinationem quandam ſentit, mortificando illius omnia deſideria, eámque ſub indiſpenſabili jugo continuæ mortificationis premendo, sícque amor proprius neque ampliùs admittitur ad conſilium, neque auditur; quia anima, quam Spiritus Divinus regit, non ampliùs eadem eſt, quæ ordinariè quærebat tantùm utilia, honorifica, & delectabilia, ſed nunc in Deo requieſcens unicè intendit ejus gloriam, quæ hoc in mundo cum fœnore reportatur ex annihilatione proprii intellectûs & voluntatis.

Affectus. O ſtatum amabilem! in quo anima ſanctâ quadam extaſi ex ſe ipſa egreditur, ut ſe in ipſo Deo reperiat. Erítne poſſibile, ut non maximi faciam tantam, quæ mihi offertur, felicitatem? hócque incomparabile bonum malitioſiſſimè amplecti differam? Noli tibi deinceps imaginari proprie Spiritus, plene erroribus, igno-

ignorantiis, & infirmitate, te vitæ meæ futurum directorem. Tempus est, ut locum cedas Divino Spiritui, à quo in instituenda nova vita dependebo, licèt sciam ejus adversus amorem proprium inexorabilem severitatem. O quàm pulchræ, quàm sublimes erunt sub Divino hoc directore viæ meæ! Verùm ô quàm necessarium mihi est donum fortitudinis, ut eò pertingam. Divine Spiritus! tu illius es Dominus, largire mihi illam eleemosynæ nomine.

Punctum III. Licèt Redemptor meus infinitè sit liberalis, dum communicat mihi Spiritum suum Sanctum, sic infinitè etiam facilis est ad eum denuo subtrahendum, quamprimum anima, cui concessus est, illum non pro meritis veneratur, aut anima per sui ipsius curam illum vult co[illegible]ere, ut aliquid de rigore suo extremo, [illegible]o amorem, & sensum proprium animæ persequitur, remittat. Hic enim procedendi modus est illi vehementissimè injuriosus, cùm scilicet anima audet præ-

ferre inclinationem naturalem, quæ voluntatis propriæ desideriis inservit inspirationi Divini Spiritûs, aut saltem unum alteri associare; cùm tamen Spiritus Sanctus tanquam Dominus absolutus pacem inire cum mancipio non possit, nec ferre, ut hoc vel minimum ordinet, *ubi* ille dominatur. Necesse proinde est, spiritum, amorémque proprium exilio mulctare, *nec unquam illorum ad* vanitates & delicias propensionem sequi: non enim hoc aliud esset, quàm contristare Spiritum Sanctum.

Affectus. Absit, ah! absit, ut vel semel contristem adorandum Dei Spiritum, quò satisfaciam Spiritui meo proprio, imperfectionibus, & peccatis prorsus involuto. Ne satisfaciam amori proprio, strenuè *invigilabo primis ejus cor*[illegible]*ibus*; nunquam, nunquam ampliùs subvertent tua blandimenta fidelitatem, quam debeo Spiritui Sancto. Reipsa quia Spiritus Sanctus me possidere incepit, non ampliùs mei ipsius sum Dominus; hinc mihi nullum ampliùs *jus* suppetit vivendi juxta

meum

meum Spiritum, aut pro me, aut in meum commodum. In hoc certè ſtatu, ubi non niſi Spiritu Dei vixero, nec quidquam niſi ejus ductu egero, ſecurè, & veriſſimè dicere potero: Deus miſit mihi Spiritum ſuum Sanctum, & totus ſpiritualis effectus ſum.

DEUS, & EGO.

DIES DECIMA.

MEDITATIO I.

Deus petens amorem meum, & Ego eundem ipſi donans.

Punctum 1. Deus non miſit homini Spiritum Sanctum, qui eſt ipſius amor ſubſtantialis, niſi ut ab eodem homine, redametur juxta id, quod præceptum eſt: Diliges Dominum Deum tuum. Amare, eſt velle bonum amato, gaudere de ejus bono, & ad id cooperari, ſi ſit poſſibile. Cùm itaque Deus me obliget ad ſui amorem, obligat me ſimul, ut gaudeam de

divitiis omnium Divinorum attributorum, quæ possidet, ut exultem de ejus magnitudine, potentia, independentia, infinitate, æternitate, immensitate &c. obligat me, ut desiderem, & procurem, ut cognoscatur, & ubique adoretur; obligat me, ut trister de eo, quòd tam parùm ametur, imò à plurimis offendatur.

Affectus. Quid? Dominus meus, & Deus meus! qui tantum à temetipso amaris, quantum es amabilis, ejus tamen es bonitatis, ut à miserrima creatura, qualis ego sum, cupias amari. Quid? mihine imperas suprema pulchritudo! ut te amem? quin etiam minaris extremam indignationem tuam, nisi te amem? quid his minis, quid hoc mandato opus? Fuisset nunquam satis æstimandus favor, si solùm permisisses, ut à me amari posses. Ob honorem, quo me afficis, quémque promptissimô animô accepto, tibi æternas mei locô rependant gratias ardentissimæ Seraphinorum mentes. Verùm indigebam præceptô ad hoc, ut te amarem, ô Creator mi! cui omnia debeo, qui est

omne

omne meum totum. Heu! plurimùm de hoc erubesco. Sit itaque, amabo te, mi Deus! amabo te, & nolo vivere, nisi ut amare possim. Fiat!

Punctum II. Inhærebo expendendis reliquis verbis admirabilis hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis. Ex toto corde tuo, hoc est, non tantùm verbis, sed ex corde, & ex toto corde. Absit inde omnis alius amor, qui huic Divino non est subordinatus. Ex tota anima tua; per animam hîc intelligitur vita, quam anima dat corpori, hinc tota vita Deo debet esse consecrata, omnia faciendo ex ipsius amore. Ex toto Spiritu tuo, qui totus debet esse mancipatus Deo, ita ut non occupes memoriam tuam, intellectum tuum, & voluntatem tuam, nisi in servitio Divino, reminiscendo, cogitando, amando: unde orietur, ut illum amem ex omnibus potentiis meis, scilicet tolerando omnia incommoda, patienter, constanter, alacriter; sícque eum amabo ex totis viribus.

Affectus. Ecce anima mea! primum & maximum mandatum; in hoc consistit compendium totius legis. Si amas Deum, legem implevisti. O quàm facile est implere Divinam hanc legem! cùm non requiratur, nisi ut ametur unus Deus, qui totus est amabilis, totus amans, totus benefaciens. Anathema sit! qui illum non amat: nam ipse solus est perfectus; unde sequitur, solum etiam esse amabilem, nihílque amore esse dignum, nisi ex ipsius amore. Quid ergo diligerem, si ipsum non amarem? cùm, quidquid creatum est, nihil sit, nisi imperfectio, & peccatum, nihílque possideat, quod meum mereatur amorem. Utinam omnia corda omnium hominum possiderem! quibus Deum amarem. Ah! anima mea! unicô opus est, sed illô integrô. Quàm miser sum! quòd istud diviserim! non ampliùs hoc continget. Quando nimium amorem erga Deum sensero, tunc, & non aliàs, partem aliquam cordis ad creaturas extendam.

Pun-

Punctum III. Expendam amorem Divinum, ut habeat totum ſuum apparatum, Debere I. collocari in conſcientia puriſſima, & innocentiſſima, cui etiam minima peccata maximum incutiant timorem. II. Debere eſſe magnum, extendendo ſe ad omnia, quæ Deus amat, ipsúmque amando omni illa efficacia, cujus cor terrenum capax eſſe poteſt, ſicque reddetur in amore inſatiabilis, & in labore infatigabilis. III. Debere ſe oſtendere generoſum, & omnis proprii commodi expertem, ſolum Deum, ejúsque gloriam reſpiciendo. IV. Debere eſſe ſolum, & hinc remotum ab omni amore inordinato, alteríve rei affixo.

Affectus. Agnoſco, hæc omnia juſtiſſimè requiri; cùm enim Deus ſit infinitè bonus, & ſolus bonus, meretur etiam ſolus, & quidem infinitè amari. Quàm pœnitet me, quòd tam exiguo amore ipſum proſecutus ſim, ipſiúsque amori aliarum rerum tam turpem amorem conjunxerim. Eheu! ſi compono amorem meum Seraphico amori tam multorum

Sanctorum, erit amor meus etiam solo amoris nomine indignus. Quanta negligentia, quantus tepor hoc meo in amore reperitur! exigua creaturarum blandimenta ipsum intervertunt, & quælibet etiam minima adversa ipsum à recto tramite abducunt. Ignosce mi Deus! ignosce mihi misero, qui nihil ex nunc omittet intentatum, ut hunc amorem sanctum, fortem, grandem, & unicum acquirat.

MEDITATIO II.

Deus unicè cupiens, ut in Eum respiciam, & Ego nihil respiciens præter Ipsum.

Punctum I. Quia amor, cui me cœpi obstringere, est zelosus, exigit à me puritatem intentionis, quæ in eo consistit, ut mihi Deum pro fine unico proponam omnium meorum decretorum, cogitationum, verborum, & actionum, per hæc omnia non quærens, nisi ut ipsi soli placeam sine omni affectu ad proprium aut alienum commodum in ipsis etiam rebus spirituali-

ritualibus,& devotionibus meis, in quibus non oportet respicere nisi gloriam Dei, absque eo, ut ullô modô in me aut commodum aut consolatio redundet.

Affectus. O misera anima mea! quanta inordinatio, toties operatum esse cum intentione proprium commodum respiciente, quæque plus in me, quàm in Deum fuit conversa. Mutemus tandem ordinem, & solum Deum consideremus. Si ipsi fuerit satisfactum, omnia erunt salva. Eodem modo suscipiamus æquô animô, quidquid Deus de nobis statuerit; quærat in nobis gloriam suam, seu Providentia hæc Divina nobis dulcia, seu amara immittat, nihil interest, sufficit, dummodò juxta ejus beneplacitum eveniat. Ecce itaque me in summa indifferentia cujuscunque statûs constitutum, mihi sufficiet, dummodo Deus suam inde gloriam eruat, quæ deinceps in omnibus totum meum sibi vendicabit affectum; nec curabo, an quid mihi honorificum, aut commodum sit, nec an mihi sit injucundum, aut ad me humiliandum serviat.

Punctum II. Considerabo puritatem hanc intentionis Deo debitam esse ex justitia. I. Quia fundatur in magnitudine, & excellentia Divina, quæ meretur, ut omnia ad ipsius gloriam referantur. II. Fundatur in supremo Dei dominio super omnia creata, & in assistentia, quam præstat concurrendo, & cooperando omnibus nostris actionibus; unde justissimum est, ut ipsi per bonam intentionem restituantur. III. Fundatur in obligatione serviendi unicè meo Creatori, Conservatori, ac Domino meo supremo, cùm non possim, nec debeam, utpote servus, subditus, & creatura ipsius absque injustitia ad alium finem collimare, quàm ut ipsi placeam.

Affectus. Submitto me justissimæ huic obligationi; omnia mea cedent in obsequium Creatoris mei, mei supremi Domini, nihílque inde mihi attribuam. Quomodò autem mihi aliquid inde attribuere possem? cùm enim actiones bonæ sint supernaturales, non possunt esse opus manuum

nuum mearum. Quin nec in illis volo respicere etiam spirituale meum commodum, operando scilicet ex eo motivo, quòd sciam nihil mereri remunerationem, quod non ex puritate intentionis procedit. Mi Deus! tua voluntas, tua gloria erit unicus mearum actionum scopus, & intentio. Nolo imitari posthac illorum agendi modum, qui oculorum humanorum sunt mancipia, illum, ut abjectum, debilem, & ineptum apertè repudio.

Punctum III. Ne verò me decipiam in hac intentionis puritate, attendam ad ejus conditiones, quarum I. est, quòd debeat esse simplex absque admixtione cujuscunque alterius intentionis. II. Debet esse universalis, extendendo se ad parva æquè ac ad magna. III. Necessariò debet esse fervens, & efficax in omnibus magno ardore & zelo quærens gloriam Dei. IV. Debet, quantùm fieri potest, esse actualis in quocunque negotio.

Affectus. O pulcherrimam Ideam, quam

quam imitari debeo, Redemptor mi! tu præiviſti luculentô exemplô, dum nunquam te ipſum quæſiviſti, ſed unicè & in omnibus propoſitam habuiſti æterni Patris tui gloriam. Hujus exempli efficaciâ, & gratiâ tuâ adjutus, ſpero me te imitaturum hoc in puncto. Ad nihilum proinde, ſiquidem tibi placet, in me redige omnem aliam intentionem, quam ex nunc toto corde deteſtor. Scio, me fuiſſe unicè creatum, ut Deum ejúsque gloriam quærerem; volo itaque etiam unicè vivere, ut utrumque inveniam. Hinc in recreationibus & rebus jucundis non aſpiciam nec delectationem, nec ſenſualitatem, ſed ſolum Dei beneplacitum, quod ibi reperitur, quia his non interero, niſi ex voluntate Divina mihi per obedientiam ſignificata.

MEDITATIO III.

Deus volens voluntatem ſuam, & Ego me ejus Voluntati conformans.

Punctum I. Verus amor reperitur in conformitate voluntatis ; quia anima amans per conformitatem ſuæ voluntatis cum Divina teſtatur. I. Magnam æſtimationem, quam habet de Deo, dum omnia arripit, quæ ipſe vult, certa, quòd omnia, quæ Deus vult, ſint ſancta. II. Offert optimum omnium ſacrificiorum, dum ſuam voluntatem Divinæ immolat. III. Splendorem addit perfectioni amoris ſui, quæ conſiſtit in eo, ut velit omnia, quæ vult perſona amata, & nolit quidquam, quod ipſa hæc perſona averſatur.

Affectus. O quàm pulchra, rara, & excellens eſt iſta conformitas cum voluntate Dei, prorſus ſanctificante ! O quanti facio animas, quæ hunc poſſident ! Mi Deus ! quàm procul ab iſta abſum, cùm, quantùm poſſum Dei voluntatem in meam inclinare contendo, & ubi providentia Divina

Divina contra hanc meam voluntatem aliquid molitur, ad murmurandum tentari me ſentio. An non ſumma hæc eſt inordinatio? Reſipiſcam, neque patiar ampliùs, ut propria voluntas mihi dominetur. Volo proinde, ô mi Deus! omnia, quæ tu vis, omnéque, quod permittis, ſive illud me, ſive amicos meos concernat. Summa mea conſolatio erit, ſcire, Deum hoc velle.

Punctum II. Conabor cognoſcere pulchritudinem hujus conformitatis, quæ conſiſtit in hoc I. Quia nihil poteſt contingere, niſi per voluntatem Dei prorſus ſanctam. II. Quia etiamſi nos lateant cauſæ eorum, quæ accidunt, nihilominùs ſunt rationi, & juſtitiæ convenientiſſima, & hinc non tanrùm non cum querelis, indignatione, aut murmuratione ſuſcipienda ſunt, ſed potiùs oportet nos illis cum debita reverentia, & cæcô modô ſubjicere, illáque grata mente ſuſcipere. III. Quia ipſe Dominus eſt, id eſt, ipſe ordinare poteſt de rebus, prout ipſi placet.

cet. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ejus faciat.

Affectus. Avertat à me Deus tam inſolentem temeritatem, quæ me moveret ad corrigendam voluntatem Divinam, aut ad murmurandum contra illam. Agnoſco, mi Deus! tuam ſupremam ſapientiam. Quanti illam faciam, patebit ex lubenti acceptatione tuarum ordinationum, etiam in iis, quæ difficillimæ videbuntur. Ita, Servator mi! cùm omnia æqualiter à te procedant, æquali etiam animo acceptabo, quidquid tibi libuerit, obfirmatus non ampliùs attendere, an permiſſa, aut imperata meæ blandiantur inclinationi, aut illi ſint contraria, ſufficiet mihi, quòd ſciam, Deum ita velle. Et certè, ſi juſtum eſt, ſe conformare mandatis Regum, & Imperatorum, quando ſuis decretis addunt hæc verba: hoc eſt noſtrum beneplacitum; juſtiſſimum utique erit ſe conformare voluntati Divinæ, cùm hoc ſit ejus beneplacitum Divinum.

Punctum III. Ne inquietus reddar in

hac

hac conformitate, cui me mancipare desidero, maturè & accuratè perpendam rationes, quas Deus habet immittendi mala pœnæ, & permittendi mala culpæ. I. Deus, in quantum est supremus Dominus, potest facere, quod sibi placet. II. Quia nos sumus sceleribus *immersi*, convenit ejus justitiæ, ut nos puniat. III. Cùm Deus sit bonus, videátque delicias, & felicitatem nos avocare à *nostra* obligatione, ad hanc nos revocat per dura, & adversitates. IV. Cùm nos amet, cupit nos sibi unire; hinc immittit cruces, quæ cùm nos ad orationem, ad patientiam, & ad exercitium aliarum virtutum excitent, sanctam quandam violentiam inferunt, quâ Deo arctiùs nos adstringamus.

Affectus. Infinitè me tibi obstrictum fateor, ô mi Deus! videbatur mihi hucusque tuus agendi modus esse severus; verùm non cognoscebam, quantum inde boni in me redundet. Habebo proinde reliquo vitæ meæ tempore perfectam

ctam conformitatem cum voluntate tua, & ſi etiam absque ſcelere immutare poſſem Providentiæ tuæ decreta, quæ mihi gravia accidunt, illa tamen immutare nollem. Sis itaque mi Deus! ſis abſolutè Dominus; impera, ego obſequar; prohibe, ego abſtinebo; immitte adverſa, ego patienter feram. Ah! quàm ſanctè invideo fortunatæ illi animæ, quam nominabas voluntatem tuam, ô mi Deus! Voluntas mea in ea. Poteróne ego miſer ad hunc honorem aſpirare? Spero me poſſe, adjuvante ſanctiſſima tua gratia. Fiat!

MEDITATIO.

Pro Concluſione Solitudinis.

IN Præludìo cogitabis, tempus adveniſſe, quo ex hac ſuavi eremo egredi oportebit; priùs tamen decet, ultimam inſtructionem, & Dei benedictionem excipere. Ad hoc pete illuminari à Deo, ejúsque Divinam gratiam implora.

Pun-

Punctum I. Inſpicies, quid tecùm hac in ſolitudine egerit optimus Deus, quid boni tibi præſtiterit, quémque ſervaverit ordinem. I. Conceſſit gratiam cognoſcendi finem, ad quem creatus es, inſtruxítque te, quomodò uti oporteat rebus creatis illas dirigendo ad hunc ipſum finem. II. Quia peccatum hunc finem deſtruit, creaturarúmque uſum pervertit, Deus *obligavit te ad ejus deteſtationem*, dum tibi oſtendit pœnas, quibus juſtitia Divina in illud animadvertit. III. Et poſtquam tibi ob oculos poſuit fontes tuarum imperfectionum, applicavit tibi contra illas convenientia media. IV. Cùm verò non ſufficiat à peccato abſtinere, ſed requiratur etiam exercitium virtutum, has tibi propoſuit clariſſimè in Filio ſuo ſpectandas, *ut te ad earum imitationem* invitaret. V. Tandem aperuit tibi viam, quâ *te ipſi* unires amore ſancto, & conformitate cum voluntate Divina.

Affectus. Deo ex corde referam gratias, ob tam inſignia collata beneficia. Admira-

mirabor magnitudinem gratiæ, quam Deus pluribus non exhibuit, qui majorem inde fructum retuliſſent. Denuò propone executioni mandare, quæ per ſacra lumina agenda vidiſti, & ſtrenuè obſervare facta propoſita. Orabis ſanctum Angelum Cuſtodem, cunctósque Patronos tuos, ut tibi ſuis precibus opitulentur, quo firmus & conſtans in bene cœptis perſiſtas.

Punctum. II. Diffiſus de te ipſo, perpendénsque fragilitatem, & inconſtantiam tuam obarma te contra omnia illa, quæ te à bene cœptis dimovere poſſunt, & ſunt I. Tentationes & aſſultus Dæmonis, de quo Sanctus Petrus ſcribit, dum monet, ut nos contra illum defendamus vigilando & orando. II. Pravæ conſuetudines & habitus ſenſualitatis, diſtractionis mentalis, nimiæ libertatis. Oportet pugnare contra hos, ſubſtituendo alios prorſus contrarios habitus, Collectionis internæ, mortificationis, obedientiæ &c. III. Mala exempla, & modus remiſſus agendi tepidorum, & imperfectorum, quos

imita

imitari neutiquam oportet, verùm respicere ferventes, ínque tuum succum transferre illorum fervorem, illorum exactitudinem &c. IV. Occasiones ad malum, quas oportet summô studiô devitare diffisus de tuis viribus.

Affectus. Humilia te profundissimè videns tuam fragilitatem, unde meritò timere debes, & nullô modô tibi fidere. Time ne exiguo tempore amittas omnem fructum, quem tempore tuæ solitudinis collegisti, prout pluribus contigit, & fortassis tibi ipsi in præteritis tuis collectionibus. Exibis ex his exercitiis spiritu intimè collecto, qui tibi persuadeat, ut vitam ducas quasi in oculis Dei, qui tibi vires addet, ut intentiones tuas executioni mandes. Præcipuè autem attende, ne mox te effundas ad exteriora, & conversationem cum aliis, sed propone conservare Spiritum sanctæ hujus Collectionis vivens solitariè & solus cum Deo solo etiam extra hanc solitudinem.

Punctum III. Oportet indagare ex

qui-

quisita media, quæ te in conceptis propositis tuis confirment. Quorum I. erit, summopere, imò infinitè, prout teneris, æstimare Deum, tantíque facere gratiam, quâ te dignatus est vocare ad suum servitium, honorémque, quem tibi exhibet, quòd ipsi placere possis, ut omnia, quæ extra ipsum sunt, prorsus contemptui habeas. Et revera extra Deum omnia sunt purum nihil. II. Teipsum magni facies, non quidem Spiritu quodam vanitatis, & superbiæ, sed quia creatus es ad imaginem & similitudinem Dei, capax sanctitatis & imitationis vitæ Redemptoris tui, redemptus Sanguine pretioso Dei-Hominis. Noli proinde te ipsum respicere tanquam affixum deliciis, sensualitati, & caducis sæculi honoribus, sed æstima te, ut creatum ad participandum de gloria ipsius Dei. Hinc oportet, ut res terrenas contemnas, neque illis utaris, nisi quantùm sola necessitas te urgebit, & erubescas, quòd necessitas tibi incumbat, non posse rebus adeò abjectis carere.

Affectus. Ita eſi, mi Deus! non æſtimo niſi te, nec timeo detrimentum, niſi te perdam, nec majus lucrum ſpero, quàm ſi te poſſideam. Tu es omne bonum, extra te non eſt, niſi miſeria, & nihilum. Mille tibi refero gratias, quòd me ad imaginem tuam formaveris, quæ & gratiæ, & gloriæ capax eſt. Ipſa fides me inſtruit, quanti valoris ego ſim; hinc conſervabo meam dignitatem, nugásque has terrenas magno animo deſpiciam. Hanc mihi, O mi Redemptor! exhibe gratiam. Tu quoque ſuccurre Virgo glorioſiſſima. Vósque Sancti, & Sanctæ Dei mei adſpirate votis.

Omnia ad majorem DEI gloriam.

IN-

INDEX

Dierum, & Meditationum.

DIES I.

MEDITATIO I.

DEUS ſolus, & Ego ſolus in ſolitudine. 3.

MEDITATIO II.

Deus Creator, & Ego Creatura. 8.

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo Creatore, & Me Creatura. 12.

DIES II.

MEDITATIO I.

Deus offenſus, & Ego agnoſcens offenſam. 17.

INDEX.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo offenſo, & Me offenſam agnoſcente. 20.

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo offenſo, & Me agnoſcente offenſam. 24.

DIES III.

MEDITATIO I.

Deus vindicans, & Ego Punitus. 28.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo Vindicante, & Me Punito. 32.

MEDITATIO III.

Continuatio de Deo vindicante, & Me Punito. 36.

DIES IV.

MEDITATIO I.

Continuatio de Deo vindicante, & Me Punito. 41.

MEDI-

INDEX.

MEDITATIO II.

Deus ostendens mihi pessimum statum, in quo versor, & Ego desiderans illum deserere. 46.

MEDITATIO III.

Continuatio prioris materiæ. 51.

DIES V.

MEDITATIO I.

Deus offerens media contra mea peccata, & Ego illa acceptans. 56.

MEDITATIO II.

Continuatio de Deo offerente media contra mea peccata, & Me illa acceptante. 59.

MEDITATIO III.

Continuatio prioris materiæ. 64.

DIES VI.

MEDITATIO I.

Deus mihi ostendens Redemptorem, tan-

quam Divinum prototypon, & Ego illud depingens. 69.

MEDITATIO II.

Continuatio de DEO mihi oſtendente meum Redemptorem tanquam Divinum prototypon, & Me illud depinginte. 74.

MEDITATIO III.

Deus Annihilatus, & Ego Annihilatus. 78.

DIES VII.

MEDITATIO I.

JESUS Pauper, & Ego Pauper. 84.

MEDITATIO II.

JESUS Circumciſus, & Ego Mortificatus. 88.

MEDITATIO III.

JESUS offerens ſe Patri æterno, & Ego cum ipſo me offerens. 93.

DIES

INDEX.

DIES VIII.

MEDITATIO I.

Deus Obediens, & Ego Obediens. 97.

MEDITATIO II.

JESUS mitiſſimus, & Ego ſine felle. 102.

MEDITATIO III.

Deus Patiens, & Ego compatiens. 106.

DIES IX.

MEDITATIO. I.

JESUS in Cruce, & Ego Cruci affixus. 111.

MEDITATIO II.

JESUS reſuſcitatus, & aſcendens in Cœlum, & Ego reviviſcens, & terram relinquens. 116.

MEDITATIO III.

Deus mittens Spiritum ſanctum, & Ego Spiritu vivens. 122.

DIES

INDEX.

DIES X.

MEDITATIO I.

Deus petens amorem meum, & Ego eundem ipsi donans.

MEDITATIO II.

Deus unicè cupiens, ut in Eum *respi*ciam, & Ego nihil respiciens præter Ipsum. 132.

MEDITATIO III.

Deus volens voluntatem suam, & Ego me ejus Voluntati conformans. 137.

MEDITATIO.

Pro Conclusione Solitudinis. 141.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Dalier, Odet,

Deus Et Ego Verba Consideratione Dignissima, Sacris Commentationibus piè expensa, Pro Spirituali Decem Dierum Solitudine

Monachii 1744

Asc. 1339 a
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10261751-1
VD18 15297691